DE
SCHOLA ISOCRATEA.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XVI. APRILIS A. MDCCCLXVII

HORA XI

PUPLICE DEFENDET

AUCTOR

PAULUS SANNEG,

SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

PAULUS SCHROEDER, DR. PHIL.
ALBERTUS VOIGT, CAND. PHIL.

HALAE SAXONUM.

FORMIS EXPRESSIT C. KIRCHNER NORDHUSANUS.

JOSEPHO SANNEG

FRATRI DILECTISSIMO

HASCE PAGELLAS

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

In indaganda veterum propria indole ac natura in illustrandis eorum antiquitatibus, litteris, artibus quamquam multi versati sunt homines docti, tamen philosophorum et oratorum Graecorum scholae adhuc neglectae jacent

At plurimum valet ad clarissimorum virorum ingenia diiudicanda ut accurate quaeratur, cuiusnam magistri praeceptis eruditus sit quisque et quas ad normas doctrinae virtutisque ingenium suum excoluerit ac mores conformaverit. Tum fieri nequit, ut rerum copia quae grandis est spem et operam nostram fallat. Quare scholam Isocrateam apud Graecos vel maxime conspicuam descripturi nos rem saepius ab aliis inchoatam ad certiores fines perducere pro viribus nostris statuimus et praefabimur nunc

De fontibus.

Veteres quidem haud pauci Isocratis scholae, praeceptis, artibus describendis operam navarunt, scripta pleraque iniuria temporis deleta sunt. Praeterquam quod orationes interpretes et existimatores invenerunt, exstiterunt etiam qui de Isocratis vita et dictis, de oratoria ejus institutione discipulisque libellos componerent; inter quos ipsorum quorundam auditorum libri qui interierunt fide haud dubie dignissimi essent, velut Cephisodori apologia Isocratis quae *ἀντιγραφαὶ πρὸς Ἀριστοτέλη* inscripta erat, Dioscoridis memorabilia, Philisci *Ἰσοκράτους ἀπόφασις*, Speusippi liber quo continebantur *τὰ παρὰ Ἰσοκράτους καλούμενα ἀπόρρητα*; ex quibus apophthegmata Isocratea adhuc servata fluxisse videntur; aliorum autem librorum exigua admodum fragmenta supersunt, velut libri ab Hermippo Smyrnaeo De Isocrate scripti (Athen. XIII, 592 d cf. arg. or. II), qui pars fuerit Vitarum, et *Περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν*, inscripti operis, cuius tres libri citantur. Oratoria praecepta ad absolutam et perfectam quandam imaginem depingere non licet, quoniam neque ipsius praeceptoris ars rhetorica neque artes a discipulis Theodecte,

Philisco, Isaeo, Naucrate, Isocrate Apolloniata conscriptae servatae sunt; pauca tantum ex his excerpta apud reliquos artium scriptores reperiuntur, nec *Ῥητορικὴ πρὸς Ἀλέξανδρον* quae Aristotelis fertur, satis certae est fidei, quamvis Isocrateum optime expressum genus scribendi et docendi prae se ferat. (De omnibus istis libris infra agitur.)

At non omnia veterum testimonia obmutuerunt mutilataque sunt et conturbata. Primum enim ipsius magistri orationes litteraeque, quoad ab Isocrate, ad quem referuntur, conscriptae sunt, deinde vitae eius scriptores Pseudo-Plutarchus, Philostratus, Photius, Suidas, Eudocia, Anonymus, qui Zosimus videtur, quamvis unus ex alterius auctoritate pendeat, in usum nostrum convertendi erant; accedunt quae Dionysius Halicarnassensis, Cicero, Quintilianus judicia tulerunt, neque narratiuncularum praeceptorumque copia, quam technographi qui dicuntur praebent, spernenda; postremo lexicographi et historiographi erant inspiciendi, quos enumerare longum est.

Inter nostrates, qui de Isocrate quaesiverunt, digni sunt, a quibus quaestio nostra repetatur J. A. Fabricius in historia litterarum Graecarum (tom. II ed. Harles.), 1790; Ruhnkenius in eloquentiae historia praefixa editioni Rutili Lupi 1768; Westermannus in eloqu. hist. I. 1833; Pfundtius „de Isocratis vita et scriptis", Berol. 1833; Sauppius in ejus dissertationis recensione, quae legitur in Zimmermanni diurnis a. 1835; Spengelius in artium scriptoribus; praeterea adhibendi orationum vel omnium quae feruntur vel singularum editores Wolfius, Stephanus, Coray, Benselerus; Leloup, Spohnius, Bremius; et qui de Oratorum Atticorum operibus fragmentisque optime meriti sunt Sauppius, Baiterus, Muellerus. Accedunt alia multa opuscula de Isocrateis, quae suo quodque loco perhibebimus.

Commentationum autem duas partes fecimus, quarum priore quae nunc prodit historia scholae ad locorum temporumque rationes describitur, et longa series discipulorum Isocratis, amicorum, adversariorum recensetur aut investigatur; posteriore, quam alio loco in lucem edituri cohibemus, de praeceptis rhetoricis, de docendi et discendi conditionibus in schola collocatis, de artium libro ab Isocrate conscripto agitur.

Pars prior.

Caput I.

Schola Isocratea ad temporum et locorum rationes describitur.

Scholam oratoriam Isocratis summis laudibus iam veteres critici extulerunt, quorum judicium intelligens et incorruptum est. Cicero illam cunctae Graeciae quasi ludum quendam et officinam eloquentiae vocavit (Brut. 8, 32. Orat. 13, 40), quo ex ludo tanquam ex equo Troiano meri principes partim in dicendo partim in scribendo exierunt (orat. l. c. De or. 2, 22. cf. Quintil. XII, 10, 22. III, 1, 14.). Dionysius pleno ore quum orationum Isocratis aptissimarum ad vim oratoriam et politicam promovendam (V p. 535 R.), tum scholae gloriam praedicavit, quae ipsa ei visa est imaginem quandam civitatis Atheniensis repraesentare veluti coloniis deducendis eloquentiae. Qua admiratione eos affecerunt et discipulorum magna copia, qui undique, ubi fama disciplinae pervulgata erat, Athenas accurrebant, et praestantia Isocrateorum tum rebus gestis tum eloquentiae vi conspicuorum, et quod schola per sexaginta fere annos magisterio insigni usa per dimidium seculum floruit, quum magistrum nullo aetatis momento auditores deficerent (Pausan. 1, 18, 8. Isocr. XV, 93). Tota enim Isocratis vita ab aetate virili, remota a forensi tumultu avocataque a rebus gerundis civitateque regenda, in literarum occupatione et in studiis scribendi docendique tranquillius decurrit. Quo modo autem ad hanc vivendi rationem adductus sit, ut intra parietes gloriam alere maluerit quam in forensi strepitu, paucis exponam.

Isocrates, Theodori filius locupletis civis, qui per servos tibiarum fabricatores quaestum suum faciebat (cf. vit. script.), unde etiam filium studiose educandum curavit (Is. or. XV, 161. Dion. V, p. 534), Athenis natus est Ol. 86, 1 = 436. De juventute eius,

1 *

quae in bellum Peloponnesiacum cadit, nil aliud compertum habemus, quam quod Gorgiam auditurus in Thessaliam profectus est (Quint. III, 1, 12. Cic. or. 52), cuius postea clarissimus auditor evasit. Athenis ei versanti operam non dedit, nam eius rei desunt testimonia, et ipse Gorgias Leontinorum legatus Isocrate admodum puero anno 427 primum Athenas missus (Diod. XII, 53) a Philostrato (in vit. Gorg.) iam senex Alcibiadem et Critiam erudivisse nuntiatur; et quamquam plus semel Athenis commorabatur, tamen non Athenis sed in Thessalia vitam degisse Isocrati fertur (XV, 155).

Tisiam, Gorgiae magistrum, Isocratis quoque praeceptorem — quod volunt vitt. scriptt. — habere noluerim, chronologica enim ratio obstat. De Protagorae et Prodici institutione scriptores recte cogitaverunt; de progressu autem suo in literis in philosophia et arte oratoria ipse (XV, 161) Isocrates confitetur, se inter aequales et condiscipulos clariorem quam postea inter cives fuisse. Etiam Socraticae celeberrimae familiae consortem eum abunde ipsa scripta placitis philosophicis referta et Platonis insigne judicium in Phaedri pag. 278 sq., quod Cicero latine in or. 12. composuit, testantur (cf. Pfund. p. 4 et 8 cum Sauppio; Spengelium in „Isocrates et Plato“ incripto libro). Coniunctissimus denique fuit vitae consuetudine ac studiorum societate cum Theramene, quem a XXX tyrannis interemptum valde lugebat. Cuius post mortem Noster triginta duos annos natus sophistica arte instructus in vitam publicam prodiit, nec tamen ad rempublicam magistratusque subeundos accessit, sed ut jure consultus orationes iudiciales pro alios scripturum se apud cives professus est. Variae autem causae ei erant, quod isto logographi quem Graeci vocant munere fungeretur. Primum quidem apparet, qui delectationem summam ex eloquentiae et philosophiae studiis ab optimo quoque praeceptore rectis ceperit ingentemque scientiarum molem sibi congesserit, eum artem suam divinam in usum civium convertere voluisse; deinde non inscius erat, se minime quidem idoneum esse, qui in foro rebusque gerendis versaretur, ingenio autem praeditum, quod ad bene cogitandum recteque agendum valeret, et animo optime composito ad scribendum docendumque; neque usquam apud totius populi conventum concionabatur, quum duae res, quae plurimum in oratore valent, eum prorsus deficerent vocis magnitudo et audacia (*τόλμα τε καὶ φωνῆς μέγεθος* Dion. V, p. 534 quare *ἰσχνόφωνος τε καὶ εὐλαβὴς* a Ps. Plut. 837 a, *δειλὸς καὶ αἰδήμων* ab Anonymo p. IX. Dind. vocatur cf. Suid. s.

Ἰσοκρ., Phot., Philostrat., et ipsius Is. or. XII, 9—11. V, 81. ep. VIII, 7); accedit quod, teste Ps. Plutarcho l. c. et Photio in cod. 260. p. 486 illum exscribente, et ipso Isocrate in or. XV, 161, bonis paternis bello amissis rerum inopia ad illius vitae normam descendere coactus est; initio igitur per nonnullos annos tali munere functus, obscuriorem istam vitae rationem tandem immutavit ita ut artes rhetoricas aliis traditurus scholam oratoriam primum in Chio insula — quod Ps. Plut. 837 b et Phot. cod. 260 p. 486 narrant — aperiret; neque multo post patriae desiderio commotus Athenas redux schola iterum constituta eloquentiae disciplinam civibus suis praebere coepit. Rem sic se habere ex his argumentis videre licet.

Isocrates ob Theramenis consortionem suspectus XXX illis urbe quidem non expulsus est, quamvis re familiari mulctatus videatur, quod idem Lysiae accidit; Athenis enim per paucos annos versatum eum orationes iudiciales, quae nunc feruntur, ostendunt. [1])

Incidunt autem eae ante scholam rhetoricam patefactam, quam Sauppius l. c. p. 407 sq. proxime ad verum accedens in anno 393 vel 392 posuit. Oratio adversus Euthynum paulo post XXX exactos anno 403, Callimachi accusatio anno 400 scripta est (cf. Pfund. l. c. p. 17 sq. cui Sauppius assentitur); orationes autem de bigis,

[1]) Errant vitae scriptores, qui causas forenses ei prorsus abjudicaverunt, ipse enim Dionysius Hal. quamquam probe scit, Aphareum (scilicet in oratione de permutatione in Megacliden) patrem suum judiciale ullum argumentum tractasse negare, idoneum testem Cephisodorum adhibet, scriptas esse ab Isocrate in judicia orationes, sed non multas (de Isocr. jud. § 18 p. 576). Sed antiquitus magna copia suppositarum talium orationum a librariis venditata fertur, quod Dionysius eodem loco dicit, *ὅτι δέσμας πάνυ πολλὰς δικανικῶν λόγων Ἰσοκρατείων περιφέρεσθαί φησιν ὑπὸ τῶν βιβλιοπωλῶν Ἀριστοτέλης.* Quin Anonymus (Zosimus) in Is. vita p. XII subditicia scripta XXI numerat, quorum compluria etiam ex Photii cod. 260 colligere posses. Isocrates autem, ubi de privatis negotiis causisque (*περὶ τῶν ἰδίων συμβολαίων*) se verba non fecisse dicit (XII, 11; XV, 3. 42. 228. cf. 276), hoc inde ab illo tempore factum esse intelligi vult, quo primum in novo docendi scribendique genere versatus fuerit (cf. XV. 193 sq.), secernens judiciale genus orationum ab cohortativo, demonstrativo, et politico (cf. Dion. in jud. Isocr. p. 535, Ps. Plut. 837 b). Locupletissimus postremo testis Aristoteles in Cic. Brut. § 48 evadit „Isocratem primo artem dicendi esse negavisse, scribere autem aliis solitum orationes, quibus in judiciis uterentur, sed cum ex eo . . . . saepe ipse in iudicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere, totumque se ad artes componendas transtulisse.“

in Lochitem, Aegineticum, Trapeziticum post Callimachum reum factum Sauppius non recte collocavit; quamvis enim certo temporis momento adscribi nequeant, tamen intra Ol. 94, 3 et 95, 3 = 402 ad 398 usque editae sunt, quia Isocrates, si revera schola eius in Chio insula aperta est, ut est, nullo alio tempore quam paulo post Socratis mortem (quam anno 399 atro veste indutus ante civium oculos luxisse dicitur Ps. Plutarcho p. 838 e anno 398 Athenas reliquisse putandus est.

Itaque nostra fert opinio, quam certis argumentis confirmabimus, Isocratem anno 398 urbe relicta per tres annos scholae rhetoricae apud Chios praefuisse et anno 395 Athenas rediise.

Et primum quidem, quod nemo adhuc vidit, discipuli qui priores ab ipso praeceptore in or. XV, 93 perhibentur, Eunomus, Lysithides, Callippus, non nisi Olympiade 96, quique posteriores sequuntur Onetor, Anticles, Philonides, Philomelus, Charmantides, nunquam nisi Ol. 95 eruditi esse possunt; quod in Eunomo et Philomelo nunc accuratius quoad fieri quit, argumentabor. Eunomus ille idem est, qui cum Aristophane et Lysia, si lectio apud Lysiam or. XIX, 19 integra est, auctore Conone ad Dionysium Siciliae tyrannum missus est, quem legati a Lacedaemoniorum studio avocatum in familiaritatem affinitatemque Evagorae Cyprorum regis insinuarent. Is regno potitus est Ol. 97, 2 = 391 (Diod. XIV, 98), legati igitur vel hoc ipso anno vel sequente, nempe ante Aristophanis supplicium, quod Athenis a. 389 subiit profecti sunt. Idem ille Eunomus anno 388 paulo ante Antalcidae pacem dux decem navium apud Xenophontem in hell. V, 1, 5 sqq. reperitur; quumque, ut par est, oratoria eius institutio ante aditum ad rempublicam sit ponenda, jam in Ol. 92, 2 – 4 = 395 – 393 cadit, quo ipso tempore etiam Lysithides et Callippus, illius Eunomi aequales et condiscipuli, Isocratis vetustissimi familiares (Demosth. p. 1240, or. Isocr. XV, 93), sunt eruditi.

Paulo post Philomelus disciplinae operam dedit, qui alius nullus est, quam Paeaniensis, cuius trierarchia in Boeckhii Seeurkunden II, l. 90 commemoratur (quod ob meritum de civitate publice coronatus est, Is. XV, 94); qui tunc temporis magis bona fama quam divitiis fructus apud Lysiam in or. XIX, 15 uxorem jam duxerat; Lysiaca ea oratio anno 387 habita est (cf. Hoelscherl vit. Lys. p. 93); unde apparet Philomelum circa initium Ol. 97 scholae Isocrateae interfuisse. Itaque inde ab Ol. 96, 2 Athenis versatum Isocratem vidimus; neque iis qui sequuntur annis Ol. 98 peregri-

natus est, nam nihil habuit causae, cur scholam Athenis florentem desereret periculumque aetate jam provectior alibi faceret, credibilius autem pro viri timido pavidoque ingenio animique angore de nova schola inauguranda apud ignotos Chios cogitari quit, quam apud cives suos, quorum in oculis nimiam audaciam ei a natura negatam prae se ferre debuit. Obstat praeterea discipulorum non exiguus numerus, qui sub ipsam Olymp. 98 sq. institutione clarissima exculti in publicum prodierunt; ut afferam Androtionem, qui teste Demosthene p. 613 a. 355 triginta jam annos in civitate versatus erat; quare a. 385 ad rem publicam accessit ejusque eruditio — quae grandis erat cf. p. 594 — in ipsam Ol. 98 cadit. Praeterquam autem quod Ps. Plutarchus et Photius locis supra adhibitis certum de Chia schola nuntium tulerunt, contigit nobis duos auditores novem illorum quos habuit apud Chios reperire: Metrodorum et Caucalum (de quibus vide in II. classe); testimonio accedit magna discipulorum copia, qui ex Asia et Chersonneso et Ponto oriundi postea Athenas Isocrati accelerabant (cf. or. XV, 224); hinc enim ab illa insula fama disciplinae per Asiae, Propontidis, Ponti oras maritimas pervulgata multos, ut Athenas posterioribus quoque temporibns Isocratem adirent, commovit.

Postremo ratiuncula ad chronologiam adaptata orationibus tribus Contra Sophistas, Helena Busiris inscriptis sustentatur, quae in proximis annis post reditum confectae sunt. In gentem Sophistarum, qui totum quasi coelum literarum Athenis tum occupaverant tenebantque, qui miraculosis doctrinis ineptiisque inauditis asseclas sibi asciscebant populumque delectabant, Isocrates animadvertens et nugas eorum castigans, ipse justas novas inusitatas docendi et scribendi materias doctrinasque pronuntiaturus est; ei autem qui recentem scholam aperire voluit, programma aliquod opus erat, quo civium oculos in se converteret scholaeque famam et incrementum pararet. Talis fere est conditio orationis Contra Sophistas, quam ad auspicandas quasi scholas adhibitam ipse orator (XV, 193) declarat, quo tempore primum in hoc dicendi genere versari inceperit, quod recte Spengelius p. 166 et Saupping ad Pf. p. 405 opinati sunt. Incidit igitur oratio in extr. Ol. 96; neque aliter Helenae encomium, quod alii Gorgiae aemulatione alii in Polycratem sophistam scriptum putant (ex argumento orat. cf. Pfund. p. 19), ad haec priora scholae tempora referendum est.

Propius autem a vero tempore in oratione Busiris incripta ab-

esse licet, quae ad Polycratem sophistam tum in Cypro insula docentem data (cf. argum. orat. et § 1), declamationes duas a sophista in usum scholarum scriptas (§ 44) refellere vult: Busiridis Apologiam et Socratis accusationem (§ 4). Nec tamen vivum Socratem accusat sophista Anyto et Meleto, qui sapientem reum fecerant, orationem illam subministrans — quod false argumentator orationis Isocrateae intellexit —, sed § 6 satis abeunde defunctos a sophista male vituperari docet; cuius rei testis Phavorinus apud Diog. Laert. II, 39 est, qui in Polycratis accusatione illa murorum a Conone instauratorum mentionem factam nunciavit; isti sexto anno post Socratis mortem a. 393 iterum sunt exstructi, quare declamationes Polycratis et Isocratis in illas conversa oratio post hunc annum scriptae sunt, vel ipsa Ol. 97. [2]) — Sophista ille Isocrate natu maior (XI, 50) Athenis Gorgiae aliquamdiu aemulus (cf. Pausan. VI, 17, 5) urbe expulsus est Ol. 96, nescimus qua de causa, quo tempore Isocrates quoque peregrinabatur, qui (cf. or. XI, 1) ab aliis demum de Polycratis infortunio certior factus apparet, nempe ubi ipse Athenas rediit, quique dolore afficitur (ib. 2), quod copia cum illo conveniendi data non sit.

Sed repetamus a primordiis scholae apud Chios patefactis; iam mirum esse non potest, quod hic ipse Isocrates nos deficit altum silentium de peregrinatione sua tenens, quippe qui de ortu suo, de juventute de praeceptoribus de fortuna adversa nulla fere verba fecerit. Tamen de novem illis discipulis nuntius certus fluxisse videtur aut ex Hermippi libris De Isocratis discipulis aut ex alius auditoris Memorabilibus, eandemque originem fabula a Pseudo Plutarcho p. 837 B et Photio in cod. 260 perhibita prae se fert, Isocratem — ut mollis eius et nimis verecunda natura erat neque vitae immutatae conditioni tam celeriter assueta — lacrimantem primam mercedem exegisse, quum se pecunia venditum putaret. Iam coniicere nobis licet, non multo post tres annos Nostrum patriae nimis desiderio indulgentem animoque audaciorem in doctrina tradenda versatiorem Athenas navigasse. [3])

[2]) Similiter ac nos Bentleius in diss. de epist. Socrat. epist. collectioni ab Orellio adiecta argnmentatus est inde a. p. 410, id quod dissertatione nostra conscripta fortuito reperimus.

[3]) Quod in Ps. Plut. p. 837 b de magistratibus Chiis ab Isocrate restitutis et de rupublica ad instar Atheniensis conformata legitur, vetustissimi iam librarii errore praemature in textum est insertum, ut Wolfius in edi-

Tum non tritam sophistarum viam processit, sed nova molitus, sectam male iam audientem ad certamen quoddam singulare scriptis suis evocavit nugas praecepta vilia doctrinas vanas perstringens. Quod voluit, effecit. Plures ei in dies discipuli accelerabant ita, ut disciplina non multo post florere coepisset et ingens agmen eruditorum in publicum remitteret, quippe quae anno aetatis XXXXII a rhetore aperta per LVI annos optimo magisterio eius uteretur. In primisque eruditioni suae traditos ipse Isocrates (XV, 93 sq.) censuit — meritissimos de re publica et ipsius a puertia amicissimos — Eunomum, Lysithidem ditissimum Thrasybuli nepotem, Callippum, *πρόξενον* Heracleatarum postea ex Apollodori accusatione (or. Demosth. 52) notissimum; eos paulo post secuti Onetor, Demosthenis affinis et tutor, cum consobrino fallaci Aphobo (cf. Dem. orat. 31) Anticles quidam, Philonides Onetoris frater, Philomelus Paeaniensis, Charmantides (or. XV, 93 sq.), his accedunt proximi, quos ex temporum ratione conjecimus, Androtion, Isaeus, Timotheus, Lacritus, Leodamas, Lycoleon, Lycurgus. Apparet initio quidem solos populares scholam frequentasse, quia ad illud tempus usque peregrinus studiosus nullus mihi Athenis innotuit. Postquam autem plurimae civitates Lacedaemoniorum superbia exacerbatae ad Athenienses defecerant novamque symmachiam cum iis inierant a 378 (Diod. XV, 29) commercio iterum inter populos exorto, e coloniis et sociorum oppidis studiosi eloquentiae Athenas confluere et Isocratis auditoria peregrini quoque replere coeperunt. Alienigenae tales nobis occurrunt Naucrates Erythraeus, Philiscus Milesius, Hieronymus Megalopolita, Isocrates Apolloniata, Ephorus Cumaeus, Theopompus Chius, Theodectes Phaselita, alii multi. Atque hic quidem alterum quasi spatium in temporum ratione habenda incipit, post-

---

tione sua Isocr. vidit, qui ad Timotheum illud referri vult; recte quidem is, et locus perversus sic mihi enunciatis permutatis sanandus videtur: — — *λόγους — — περὶ οὓς ἐσπούδασεν· ἀργύριον τε ὅσον οὐδεὶς σοφιστῶν εὐπόρησεν, ὥς καὶ τριηραρχῆσαι . ἀκροαταὶ δ' αὐτοῦ ἐγένοντο εἰς ρ', ἄλλοι δὲ πολλοὶ καὶ Τιμόθεος ὁ Κόνωνος, σὺν ᾧ καὶ πολλὰς πόλεις ἐπῆλθε καὶ ἀρχὰς δὲ καὶ τὰς περὶ τὴν Χῖον κατέστησε καὶ τὴν αὐτὴν τῇ πατρίδι πολιτείαν, συντιθεὶς τὰς πρὸς Ἀθηναίους ὑπὸ Τιμοθέου πεμπομένας ἐπιστολάς κ. τ. λ.* De Chiorum rebus cf. Diod. XIV, 84. 94. Isocr. IV, 139; XIV, 28; IV, 16; VIII, 98; apparet isto modo nihilominus commisceri prius iter Isocratis cum posteriore quod cum Timotheo per mare Aegeum fecit Ol. 100, 4 = 377, ubi Athenienses denuo summa imperii potiti symmachiam recentiorem cum civitatibus a Spartanis defectis iniere. plura vide in classe I sub Tim.

quam priore illo quod exposuimus XVII anni scholae comprehensi sunt, ab Ol. 96, 2 usque ad Ol. 100, 3; alteram autem temporum partem inde ab Ol. 101, 1 ad Ol. 107, 1 annos XXIV continentem deduxerim vel ad ludos funebres Mausoli regis Cariae. Eam tertia aetatis pars excipiat quae annos XIV complectitur ab Ol. 107, 2 ad Ol. 110, 3 vel ad mortem Isocratis a. 338. In spatium autem duorum annorum, quod inter priorem et alteram scholae aetatem interjectum est (Ol. 100, 4 — 101, 1, = 377 — 376) expeditio Timothei incidit, quo in itinere Isocrates discipuli et recentis amici comes factus multas urbes visit epistolasque ab illo ad Atheniensium magistratus de novis foederibus cum maritimis civitatibus initis datas conscripsit [4]) (Ps. Plut. p. 837 c huc spectat quod ap. eundem Plut. p. 837 b de institutis Chiorum magistratibus dicitur). Expeditio illa ad summum duos annos complevit, quia Timotheus anno 375 Peloponnesum circumvehens alias iam res gessurus apparet ex Xenoph. hell. V, 4, 63 sqq. Diodor. XV, 36 sqq. cf. Cornel. Nep. Tim. 2. Isocr. XV, 107—113. Talentum autem quod donum ab amici grato animo tulisse Isocrates fertur (Ps. Plut. l. c.) post Samum expugnatam a. 365 (Diod. XVIII, 18. cf. Dem. p. 192 sq. Isocr. XV, 111. Nep. Tim. 1) accepit ex praeda captae insulae. Aliud etiam testimonium itineris eius exstat, quod conjicimus ex familiaritate, quam Noster Timotheo auctore cum Salaminiorum regibus habuit. Conon enim a. 405 Cyprum ad Evagoram principem confugit, ubi postea quoque cum Timotheo filio in latifundiis saepius commoratus est (cf. Isocr. IV, 154; V, 62; IX, 52 sqq. cf. Lysiae or. XIX, 36 sqq. 40). Patre mortuo a. 391 filius se Athenas contulit non quidem ad ipsam Isocratis disciplinam, sed ut privatus homo, quod colligere possumus ex Dem. p. 1415; melius autem de schola Isocratea sub Ol. 99, 1 = 384 cogitandum est. In expeditione quae a. 377 init. facta est crediderim illos etiam Cyprum venisse — quamquam nulla eius rei mentio fit — et liberaliter ab Evagora ejusque filio Nicocle esse receptos; nam ante hunc annum nulla familiaritas Isocratis cum regibus illis commemoratur, Evagora autem mortuo (anno 374, Diod. XV, 47) oratio Isocratea „ad Nicoclem“ amicum prima scripta est, altera „Nicocles sive Cyprii“ in-

---

[4]) quae literae a Speusippo in epistola Socratica XXX apud Orellium p. 39 probris plenae et in Philippum Macedonem conversae vocantur: *Ἰσοκράτης, ἐπειδὴ νέος μὲν ὢν εἰς τὸν δῆμον μετὰ Τιμοθέου καθ' ὑμῶν* (sc. *Φιλίππου*) *ἐπιστολὰς αἰσχρὰς ἔγραψεν.*

scripta a. 372, tertia in Evagorae laudem, non multo post edita videtur quod proficiscitur ex § 73. In altera ea disciplinae aetate finibus provinciae rhetoricae latius productis schola ad summum excellentiae et gloriae fastigium provecta est. Nam praeter populares qui consuetudine Isocratis utebantur permultos peregrinos apud eum reperies, quin quorum memoria non iam evanuit, soli fere alienigenae ex eo temporis spatio nobis innotuerunt. Rei insolentia, scholae laudes, praeceptoris divitiae ingentes, quae ex grandi numero discipulorum mercedem solventium et ex amicorum gratis animis ei affluebant — cf. partem II hui. lib. — odium invidiamque sophistarum ceterorum ei commoverunt, qui, ut detrectatorum est, de fama eius detrahentes, fortunas divitiasque verbis exaggerantes effecerunt, ut ob munus triremium instruendarum bis in iudicium vocaretur, primum a Megaclide a. 355 facultatum permutationem ei offerente, iterum a. 353 a Lysimacho quod adolescentes corrumperet pravis eloquentiae praeceptis tradendis. — (cf. Plut. p. 839 c. Phot. p. 487; Is. XV, 30, 101. 240; 14, 16 de trierarchiis in parte II agitur). Istae causae tantum aberat, ut Isocratis vitae et doctrinae existimationem imminuerent, ut res clariores in aperto ponerent, quum ipse rhetor ad falsas vulgi opiniones de se suaque schola disturbandas apologiam „De Permutatione" inscriptam paulo post alteram trierarchiam ederet. Lux vero longe clarissima Isocrateis affulsit sub exitum secundae aetatis (Ol. 107, $\frac{1}{2}$ = 351) ubi flos quasi eruditorum omnibus literarum generibus ex cuncta Graecia ad Mausoli ludos funebres celebrandos concurrit. Mausolus Cariae rex mortuus est Ol. 107, 1—2 (sic Plin. h. n. 36, 47; Diodor. XVI, 36 false de Ol. 106, 4 cogitavit) cuius sepulcrum amplissimis honoribus ludisque Artemisia soror et uxor luctu et desiderio mariti flagrans celebrare instituit (Gell. N. A. X, 18); quare optimos quosque oratores praemiis propositis evocavit, qui orationibus funebribus aliisque litterarum ludis memoriam illius praedicarent. Tum insigni testimonio, qua fama praestantiae Isocratei uterentur, luculenter apparuit, quod nemo nisi Isocrateus ad singulare certamen descendere conabatur. De istis autem viris scriptores diversa nunciarunt; Suidas s. vv. *Ἰσοκράτης* *Ἀμύκλα* et *Θεοδέκτης*, eum Theodectem, Theopompum, Naucratem, Isocratem Apolloniatam (minime Atheniensem) certasse Ol. ϱζ′ (nam sic pro ϱγ′ legendum) auctor est.[5]) Postremo

[5]) Quem Apolloniatam Taylor. lectt. Lysiac. 3 p. 233, Atheniensem. Ruhnkenius hist. crit. p. 85 et Clinton F. H. p. 299 intelligunt, insistentes

ipse magister non defuerit certamini ut gloriam Suorum suis oculis spectaret et ad se ipsum redundantem sentiret; idque extremum eius iter fuerit, nam quinque annis post (346) epistola I ad Dionysium, si aetate junior esset, ait, se profectum coram amico disseruisset, nunc se aetate provectiore retardari.[6]) Alteram scholae aetatem

---

certis testimoniis Ps. Plut. 838 b et Porphyrii apud Euseb. praep. ev. X. 3, p. 464 c, quo Theopompus *ὑπερφρόνει τὸν Ἰσοκράτην καὶ νενικῆσθαι ὑφ' ἑαυτοῦ λέγει κατὰ τὸν ἐπὶ Μαυσώλῳ ἀγῶνα τὸν διδάσκαλον.* Sed iam Gellius X, 18 rem dubiam perspexit qui scribit „sunt etiam, qui Isocratem ipsum cum iis certavisse memoriae mandaverint". Jure itaque opinionem illam veri dissimilem reiiciunt Pflugkius de Theop. vit. p. 26 sqq. et Wichersius ibid. p. 13. nosque sic refutabimus. Nequit cogitari de eius certamine, nam ex se intelligitur, eum qui sexcenties exposuerit, audacia et idonea voce se carere, ideoque abstinuisse a magistratibus et concionibus (locis supra denotatis), qui toto coelo distulerit a rhetore vel concionatore, eum octogenarium in hominum concursu et sepulcri festivitate summa locuturum exstitisse. Tamen non sine causa insolens istud judicium exstat, et Suidas quoque duobus locis tam confidenter Apolloniatam perhibens verum dixit. Sumenda mendela mihi videtur ex alio loco — apud Phot. cod. 176 init. — cum nostro collato. Apud Photium enim iterum Isocratem Atheniensem, Theodectem Naucratem inter aequales suos Theopompus refert et insolenter vitae suae conditiones prosperrimas magistri inopiae rerum et operae mercenariae opponit; id non in Apolloniatam sed solum in Atheniensem quadrat, neque obstat huic sententiae — quod tamen Wichers. ad Theop. voluit, — quod Theopompus *συνακμάσαι* se ei dicit, annis LVII inter utriusque aetatem intercedentibus, quia Isocrates plus quam quinquaginta Theopompi aetatis annos una cum eo transegit ejusque chola ad finem usque floruisse fertur (Pausan. I, 18, 8; XV or. Isocr. 93 al.). Eum igitur locum contenderim in vicinia proxima Eusebiani illius apud Theopompum scriptum esse ideoque — quamvis Eusebii „*τὸν διδάσκαλον*" nihilsit quam appositio a Porphyrio addita ad virum dilucidius significandum — Isocratem magistrum a Theopompo superatum putandum esse. Attamen non magister orationem locutus est, sed Isocrates Apolloniates dixit magister scripsit! Amanuensis tanquam vel famuli, quem nos dicimus, munere in magistri familiaritate fungi potuit, nam Apolloniatam in perpetua et arctissima consuetudine cum praeceptore vixisse jam ex eo luculenter patet, quod a Suida *διαδόχος τοῦ μεγάλου Ἰσοκράτους* i. e. successor in schola regenda appellatur; cf. Epistol. Socrat. XXX Orell. p. 38 *τὸν δὲ Πόντικον* (sc. *Ἀπολλωνίας τῆς ἐν τῷ Πόντῳ*, Suid.) *μαθητὴν ἀπέδειξε τῆς αὐτοῦ σοφίας διάδοχον.* Quare mihi conprobatur opinio veri simillima, Isocratem per discipulum Apollon. eiusdem nominis cum ceteris certasse, itaque a Theopompo superatum esse et magistrum laudationem discipulo subministrantem et discipulum eum qui eam habuit. Et erat mos Isocratis, per alios causas suas agere, velut per filium Aphareum a. 355 in Megaclidem propter trierarchiam locutus est (Ps. Plut. p. 838 a. cf. Dion. V p. 667 p. 576.)

[6]) Ad eam expeditionem Isocratis hospitium vel symposium apud Nico

eo splendidissimo modo finitam tertia sequitur debilior admodum, velut solis meridiem lucisque splendorem fulgentem deinceps solis inclinatio, occasus, rubor coeli vespertinus.

Novissima ea temporum parte quattuordecim anni complectuntur ab Ol. 107, 2 ad 100, 3. Orationes qui in hac aetate ponendae sunt ipsum oratorem animo remissiorem, utque par est, remollescentem quasi corporis viribus infractis et debilitatis, loquaciorem et morosiorem senem ostendunt. Is quidem Isocrates jam magnam partem ex oratione de permutatione scripta anno aetatis octogesimo secundo (XV, 9.) apparet maxime autem ex Panathenaico, cuius initium fecit annos XCIV natus (XII, 3) finemque apposuit anno aetatis nonagesimo septimo, quum triennium morbo gravissimo affectus esset (ib. 267 sqq.). Neque ingravescente aetate senili quum senii sui molestias et se ipse morosum et querulum sentiret, ei defuit solatium omne adminiculumque; nunquam enim usque ad obitum suum discipulos habere desiit, quorum iucunda consuetudine usus aetatis longinquitatem tolerabiliorem reddidit colloquiis et disputationibus institutis, quibus scripta sua recitabat et ad juvenum consilium corrigebat (XII, 200 sqq.). Neque patriae saluti defuit, quippe qui τῆς ἀρρωστίας τῆς νῦν ei παρούσης (V, 1) memor ad Philippum Macedonem magna molientem cohortativam orationem scriberet, ut dux Graecorum omnium expeditionem contra Persas faceret (V, 16), idemque sex annis post (a. 340) epistola ei suaderet.

Attamen sub finem vitae magistri memoria scholae, fere exstincta videtur neque quemquam reperire poteris, qui in novissimis iis temporibus ei immissus clarus admodum et nobilis vir exierit; nisi forte huic tempori cum epistolam quartam et septimam tum, qui in istis commendantur, discipulos Diodotum (IV, 1 sqq.) et Autocratorem (VII, 10 sq.) tribuere malueris.

---

clem retulerim, de quo fabula a Ps. Plut. 838 f, Plut. quaest. symp. p. 913 a. Macrob. Sat. VII, 1,, et a nonnullis rhetoribus narratur; ἑστιώμενος δὲ ποτε παρὰ Νικοκρέοντι (legas Νικοκλεῖ) τῷ Κύπρου τυράννῳ, προτρεπομένων αὐτὸν τῶν παρόντων διαλεχθῆναι, ἔφη· οἷς μὲν ἐγὼ δεινὸς, οὐχ ὁ νῦν καιρός· οἷς δ' ὁ νὺν καιρὸς, οὐχ ἐγὼ δεινός, quae narratiuncula et antitheseos et isocoli et homoioteleuti speciem mere Isocrateam prae se fert. Nominis formae Nicocles et Nicocreon saepius permutantur apud Cyprios cf. Diod. XX, 21 cum. ann. Wesselingi nam in priore itinere anno 377 Nicocles nondum rex factus erat, Evagora patre vivo; alterum iter Isocratis cadit in extremos Nicoclis annos, quum anno 350 ap. Diod. XVI, 46 iam alius Salaminiorum rex Pnytagoras (cf. Wesselingi notam ad h. l.) commemoretur.

Anno 338 schola magistrum morte voluntaria ereptum doluit, qui nuntio cladis Chaeroneensis allato omni spe patriae salvae deiectus mortem honorabilem vitae turpis taedio praetulit. Non vero prorsus et subito dissoluta disciplina evanuit. Alter Isocrates ei exstitit; non ille quidem magnus et celeberrimus, tamen vir probae voluntatis et variis scientiis haud spernenda denique artis rhetoricae cognitione, exstructus: Isocrates Apolloniata — quod Suid s. v. mandavit — Magni Isocratis successor factus est, is qui familiarissimus eius cotidiana consuetudine usus, qui iam in Mausoli ludis funebribus praeceptoris loco laudationem in mortuum regem conscriptam habuit, cui copia data est, omnem Isocratis praecipiendi et scribendi vim artesque ut cum pulvisculo tanquam ad unum omnia exhauriret et sorberet. [7])

Quoad alter iste Isocrates scholae Athenis praefuerit, nulla iam coniectura assequi licet. Testimonia enim desunt omnia, ita ut imaginem Isocrateae scholae historicam ad veri certam speciem hic verbis depinxisse satis habeamus.

Restat ut, quibus aedibus et qua urbis regione sitis schola usa fuerit, demonstremus. Zosimus in vitae Isocr. pag. XI notavit, *διατριβὴν δὲ εἶχε πρὸς τῷ Λυκείῳ τῷ γυμνασίῳ*, quod Lyceum fanum fuit Apollinis lycooctoni. [8]) Isocratis aedificia inter Lyceum nobilissimum illud et Gymnasium Herculis, quod *Κυνόσαργες* vocabatur, interiecta fuisse videntur; nam e regione ejus Cynosargus Isocrati erat sepulcrum gentilicium et hereditarium, ubi ipse humatus una cum patre, uxore, filio, nepotibus jacet; tumuloque columna instabat, cui siren quaedam e marmore sculpta imposita erat (cf. Ps. Plut. 838 b, c. Philostr. I, 17. Pausan. I, c. 19. Zosimus in vit. Is. p. XIII Dind.). Prope illud Lyceum et domicilium suum in propria domo et scholae aedificia possedisse putaverim, quod elucet praeterea ex Panathenaico § 18 (33), ubi tres quattuorve familiarium Isocrati obviam facti dicebant, sophistas gregarios sive scurras nonnullos in ipso Lyceo considentes eum calumniari coepisse, quod eo insolentius factum apparet, quo propius ad ipsa Isocratea domicilia accedebant.

---

[7]) Invidia, quam ei auctor epistolae Socraticae XXX, qui Speusippus videtur, commovet — *οὐ σὺ πολλοὺς τεθεαμένος σοφιστὰς βδελυρώτερον οὐχ ἑώρακας* — infenso calumniatoris ut Academici animo tribuenda est, cf. in classe II sub n. XXIV.

[8]) De tribus sic vocatis gymnasiis conferas Scholiastam ad Demothenis orat. in Timocr. p. 736, 6.

Caput II.

Isocratis discipuli recensentur et investigantur; adiiciuntur amici eius et adversarii.

Isocrateorum mediocris notitia memoriae prodita, plurimorum aut obscurata est aut prorsus evanuit. Veteres enim in scribenda vita Isocratis versati accuratum discipulorum commentarium omittentes, notissimos quosque identidem enumerarunt; velut Ps. Plutarchus in vitt. X orr. p. 837 C. D., quem Photius aperte et impudenter cod. 260 p. 486 compilavit, Timotheum, Theopompum, Ephorum, Asclepiadem, Theodectem, Leodamantem, Lacritum, Lycurgum, qui textu excidit, Hyperidem, Isaeum perhibuere, quorum nonnullos Anonymus in vita Isocr. p. XI, qui Zosimus videtur, praetermittens aliorum ut Philisci, Isocratis, Androtionis, Pythonis memoriam revocavit. cf. Philostr. vit. Soph. I, 17. Illi ex eodem omnes, ceteri ex fonte non alieno hausisse videntur, quem Hermippum in libris *περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν* iam Westermannus in Plutarchi vitt. X oratt. Lips. 1833 p. 10. 15 opinatus est.[9]) Hermippus autem sua ex Isocrateorum scriptis compilavit, quae ad pecu-

[9]) Argumento ei est, quod Plutarchus nonnulla velut p. 839 B *γηράσαντα — θυγάτριον* cf. Athen. XIII p. 592 D, et p. 849 D, quod de *περιπάτῳ* Hyperidis narratur, cf. Athen. VIII, 342 C ex Hermippo aperte desumpsit; quibus addere liceat, id quod viros doctos adhuc fugit, Isaei vitam a Ps. Plutarcho tam breviter scriptam omnino congruere cum verbis, quae Dionysius Hal. V p. 588 R fecit de Hermippi descriptione vitae illius: *οὐδὲ γὰρ ὁ τοὺς Ἰσοκράτους μαθητὰς ἀναγράψας Ἕρμιππος, ἀκριβὴς ἐν τοῖς ἄλλοις γενόμενος, ὑπὲρ τοῦδε τοῦ ῥήτορος οὐδὲν εἴρηκεν, ἔξω δυοῖν τούτων ὅτι διήκουσε μὲν Ἰσοκράτους, καθηγήσατο δὲ Δημοσθένους, συνεγένετο δὲ τοῖς ἀρίστοις τῶν φιλοσόφων*; quae etiam in Plut. p. 839 E. F. summi momenti esse apparent, postquam cum Reiskio et Dübnero initium sic restitueris *σχολάσας Ἰσοκράτει ἐζήλωσε* (vel aliud quid) *Λυσίαν* (quod equidem voluerim).

liarem suum finem commode conformabat, ut ex Cephisodori libro, qui *ἀντιγραφαὶ πρὸς Ἀριστοτέλη* inscriptus apologiam Isocratis continebat cf. Dion. V, 577., ex Philisci „*Ἰσοκράτους ἀπόφασις*“, Suid. s. *Φιλ.*, ex Dioscoridis „*Ἀπομνημονεύματα*“, Diog. L. I, 63. Accedunt alia multa testimonia, quae apud scriptores passim reperiuntur et suo quodque loco adhibebuntur; neque ipse Isocrates prorsus nos deficit, quum apud eum or. XV, § 93 sqq. et in ep. IV et VII undecim discipulorum insignis memoria exstet.

Inter recentioris aetatis criticos, qui Isocrateis aestimandis operam navarunt, ut Cresollius (theatrum vet. rhet. 1620) et Bréquignyus (viès des anc. or. 1752) et nimis festinans levisque Bellinus de Ballu (hist. crit. de l'éloq. 1813), multum suo tempore Fabricii bibl. Graeca cum Harlesii annotationibus et Schirachi dissertat. de vita et gen. scr. Isocr. 1765 profuerunt. Plura Ruhnkenius in notissima historia sua critica contulit, qui tamen finibus latius productis inde a p. LXI omnes qui sequuntur oratores Isocrateos habere vult. Notiores deinde discipulos Coray in edit. Is. vol. I. Le loup. in or. de pace 1825 Lozynski in Hermippi fragm. 1831 p. 42. Pfundtius et Sauppius in diss. et recens. supra commemorata, Westermannus in hist. Gr. eloqu. § 50 nominaverunt. Hi vero et alii quidam inchoaverunt magis quam absolverunt indicem, et nomenclaturam potius quam commentarium componentes neque classes ad temporum vitarumque rationes scripsere neque obscurorum discipulorum memoriam intermortuam refricuere. Tamen materiam commentatione dignissimam tractaturo utrumque faciendum est, ita ut clariores discipulos recte percenseantur ad scholae normas oratorias et ii qui adhuc silentio pressi sunt, literarum reliquiis pervestigatis in lucem eruantur. Quod si centum omnino discipuli apud Ps. Plut. p. 837 C et Phot. l. c. feruntur, tenuior numerus videtur, quam qui veri similis sit; tantulum agmen per sexaginta annos ex schola frequentissima prodiisse nequit. Eam difficultatem facillime ita dissolvi Bergkius mihi persuasit, ut arbitremur, id quod verisimilitudinis certam commendationem habet, illo Hermippi opere de Isocrateis centum nobilissimos et clarissimos quosque e grandiore copia discipulorum delectos fuisse, quorum vitae describerentur, eumque numerum, quasi omnes ad unum Isocrateos comprehenderet, Plutarcho integerrimum visum esse.

At perdifficile est, neque utique fieri quit, ut certus ordo auditorum sola temporum ratione habita, quibus quis scholae inter-

fuerit, statuatur. Itaque tutiore via progressi primum id egimus, ut classes describeremus ad unius cuiusque ingenii et vitae decursus diversitates. Neque temporum rationem quantum fieri potuit in classibus neglleximus. Non solitaria semita! Praecedit veterum auctoritas. Ab ipso quidem Isocrate (ep. IV § 2) sectatores ita ordinantur, ut primum eloquentia conspicui (οἱ μὲν περὶ αὐτὸν λόγον), deinde prudentia, et rebus gestis clari facti (οἱ δὲ περὶ τὸ διανοηθῆναι καὶ πρᾶξαι δεινοί), postremo homines privati et probi, ad alios usus prorsus inepti, collocentur (οἱ δ' ἐπὶ μὲν τοῦ βίου σώφρονες καὶ χαρίεντες, πρὸς δὲ τὰς ἄλλας χρήσεις καὶ διαγωγὰς ἀφυεῖς παντάπασιν). Istis novissimo utroque loco positis se magis delectari confitetur XII, 87, quam iis qui eloquentia claruerint. Huic classium descriptioni alteram Dionysii, qui in jud. d. Is. 1. p. 536 inter jure peritos, politicos, historicos distinxit, commiscentes has statuimus classes: Praecedant Isocratei in republica versati et oratores; eos excipiant artis rhetoricae tradendae et literarum studiosi, sive rhetores et literati homines; sequantur historiarum scriptores, sive historici; accedant tragoediarum poetae; quibus homines privati vitae probitate et morum integritate clari et obscuriores adjunguntur novissimi. Praeter quinque eas classes Isocratis familiares et amici et, si ad calcem quaestionum pervenerimus, eius adversarii breviter censebuntur. [10])

---

[10]) Hic quasi in limine scholae vestibuli viri removendi sunt, quos veteres scriptores inscientia vel memoria lapsi Isocrateos habuerunt; quod ex more veterum intelligitur, qui praestantiam oratorum vel literatorum conspicuam ad doctrinas clarissimorum praeceptorum, neglecta saepius temporum ratione, referre solent. Ut Thucydidem omittam, quem mentis errore Isocrateum quidam ratus est; Suidas false Thrasymachum Chalcedonium Platonis et Isocratis discipulum vocavit, nam constat inter omnes, illum et antecessisse aetate, ut aequalem Lysiae apud Platonem cum Socrate saepius disputantem, et teste Cicerone, or. 52, artem eius rhetoricam ab Isocrate esse lectam, qui praecepta ab illo invento moderatius temperaverit cf. Muelleri or. Att. II, p. 244 et Bernhardyum ad Suid. s. v.

Neque Xenophon, quem Photius l. c. voluit, Isocrateus putandus, quippe qui Nostri fere aequalis, quo tempore Isocrates scholam aperuit, tum iam patria profugus in Spartanorum exercitu stipendia meruerit. Inde vero, quod Isocrates Grylli Xenophontis filii encomium conscripsisse fertur cf. Diog. L. II. 55, colligere familiaritatem vel magisterium illius non licet; fuit enim laudatio ista nil nisi declamatio in scholarum usum composita, quales innumerabiles teste Diogene — quod Pfund. non vidit p. 7 sq. — tum scribebantur.

In iis, qui nunc sequuntur, indicibus rationem temporum, quoad fieri potuit, adhibitam reperies, ii vero discipuli, quos ad certam illam normam percensere non licebat, in ordinem literarum primarum rediguntur.

Aeschines modo Socratis et Platonis (Apoll. de Aesch. rhet. p. 14. Demetr. Phal. ap. Schol. ad Aesch. II, 1) modo Platonis et Isocratis (Plut. p. 840 A. Philostr. I, 18, 3) auditor habetur, sed per errorem, nam neque Diogenes eum inter Platonis discipulos neque alius ullus inter Isocrateos nominavit. Ciceronis (de or. II, 23) testimonium autem ad Theopompos, Ephoros, Philiscos, Naucratos solos est adhibendum, alii vero, qui ibi leguntur, imitatores videntur. Ceterum αὐτοδίδακτος iam veteribus (Ps. Plut. 840 E cf. Dionys. Demosth. p. 1063. et V, p. 434), λόγος autem eius αὐτοφυής καὶ αὐτοσχέδιος Photio cod. 61 (cf. Aesch. II, 41. III, 228) videbatur; idque Caecilius Idomeneus Hermippus critici testantur (Schol. ad Aesch. II, 1). Neque postremo de Alcidamante praeceptore cum Suida congitandum (cf. Phot. l. c.), aut de Leodamante Isocrateo cum Caecilio illo ap. Ps. Pl. p. 84 A, quod ex nimia laude ab Aeschine (III, 139) Leodamanti tributa fluxisse opinor. Illud tamen crediderim, Aeschinem artes varias ab optimis rhetoribus editas sibi parasse studioseque pertractasse.

In Demosthene censendo ne longi simus, praeclare enim eius studia Schaeferus (Demosth. u. seine Zeit I, inde a p. 272) indagavit. Jam Plutarchus Dem. c. 5. Demosthenem minime Isocratem sed Isaeum praeceptorem sibi elegisse testatur. Pseudo-Plut. p. 844 A rem dubiam reliquit; fabulaque quae ab eodem Ps. Pl. 837 D de commercio Isocratis cum Demosthene mercedis causa narratur, ficta primo obtutu apparet. Tamen crediderim, juvenem aliquando cum claro praeceptore de simili re disputavisse. Veri quandam speciem id habet, quod Plut. 5. ex Hermippo exscripsit, Demosthenem Alcidamantis et Isocratis artes conscriptas clam et occulte sibi arripuisse ut edisceret. Hunc in modum Dionysio in ep. ad Amm. p. 723 τοῖς Ἰσοκράτους (τε καὶ Ἰσαίου) κοσμούμενος παραγγέλμασιν vocari potuit; et scripta potius Isocratea quam artis librum posteriore tempore editum imitandi gratia perlegerit. Nec tamen praecepta Isocratis, quae postea artium libris continebantur, prorsus silentio pressa erant, sed ut ipse magister discipulis dictabat, sic manu transscripta facillime multisque exemplis in publicum prodire et a Demosthene legi potuerunt. Constat Demosthenem plus semel Isocrateas orationes compilasse et vestigia eius sequutum esse, quod Funkhaenel in Zimmerm. diurnis a. 1837 p. 485 sqq. diserte docuit. Neque scholiastas imitatio fugit, quorum unus recte ad or. XXIV p. 701, 4 annotavit ἐπεὶ διδάσκαλος (sc. Ἰσοκρ.) ἦν αὐτοῦ, προσέθηκεν ὅτι προσηκόντως εἴρηται ἐκείνῳ. cf. ceteros schol. ad h. l. Bene igitur Hermogenes ap. Walz. III p. 281 cum scholl. V, 513. VI, 339. VII, 1038 perspexerunt, oratorem orationem suam in Androtionem sc. Isocrateum disertum vel maxime exornasse ἀντιφιλούμενον πρὸς Ἰσοκράτειον ῥήτορα. Accedit quod animum infensum Isocrateis obtulit, nam praeter Androtionem etiam in Lacritum (cf. p. 928.) (quae oratio spuria omnino et subditicia est cf. Schaef. Beil. 291.), in Callippum et Lysithidem pro Apollodoro

Prima classe Isocratei in republica versati aut rebus gestis aut eloquentia conspicui vel politici et oratores recensentur.

Exordiamur ab illis, quos ipse Isocrates XV, 93. discipulos sibi *κεχρημένους ἐκ μειρακίων μέχρι γήρως* ita perhibuit: *ἤρξαντο μὲν οὖν ἐν πρώτοις Εὔνομός μοι καὶ Λυσιθείδης καὶ Κάλλιππος πλησιάζειν, μετὰ δὲ τούτους Ὀνήτωρ, Ἀντικλῆς, Φιλωνίδης, Φιλόμηλος, Χαρμαντίδης. τούτους ἅπαντας ἡ πόλις χρυσοῖς στεφάνοις ἐστεφάνωσεν, οὐχ ὡς τῶν ἀλλοτρίων ἐφιεμένους ἀλλ' ὡς ἄνδρας ἀγαθοὺς ὄντας καὶ πολλὰ τῶν ἰδίων εἰς τὴν πόλιν ἀνηλωκότας.* Isti notissimi tum esse debuerunt, quum ipsi judices testes oratori advocentur, qui verum esse dictum confirment. Tamen quinque posteriores dicti non aeque vita publica claruerunt ac priores, qua re in quintam classem referuntur.

I. Eunomus Atheniensis. Hic cum Aristophane et Lysia, auctore Conone, ad Dionysium tyrannum in Siciliam missus est (Lys. XIX, 19), ut eum a societate Lacedaemoniorum avocatum Evagorae recenti Cyprorum tyranno amicum et affinem redderent; Cypri regnum ille Ol. 97, 2 occupavit (Diod. XIV, 98) idemque Eunomus anno 1. Ol. 98 paulo ante Antalcidae pacem navium XIII *ναύαρχος* constitutus rem improspere gessit, Xenoph. Hell. V, 1. 5. 7. 9. Legatio illa, quod supra docuimus ipso anno 391 profecta est, Eunomusque, si Ol. 97 ad rempublicam accessit, institutione oratoria Ol. 96 saltem frui debuit, quare si eodem tempore Isocrates scholam Athenis aperuit, inter priores discipulos eius referendus est. Postea ob beneficia magna in rempublicam collata, de quibus nil constat, publice coronatus (Is. XV, 94) in hominum notitia frequentissimus fuisse videtur.

II. Lysithides, Atheniensis, Thrasybuli nepos (*ὁδὶ μέν ἐστιν ἀδελφιδοῦς Θρασυβούλου Λυσιθείδης*), Plut. de daemon. Socr. I pag. 575 E. Isocratis illud testimonium confirmatur a Demosthene, qui or. 52 p. 1240 de Lysithide dicit ut de *αὐτοῦ μὲν* (sc. *Καλλίππου*) *καὶ Ἰσοκράτους καὶ Ἀφαρέως ἑταίρῳ, γνωρίμῳ δὲ τοῦ*

orationem 52 in Onetorem or. 30 scripsit. Quare plura quam Philostrati I, 17, 1: *μαθητὴς μὲν Ἰσαίου ζηλωτὴς δὲ Ἰσοκράτους γενόμενος,* minime concedenda sunt. Cf. quae sub Aesione dicuntur.

πατρὸς (s. *Πασίωνος*). Causam Callippi Heracleotarum *προξένου* studiorumque socii Lysithides *διαιτητὴς* plus, quam virum probissimum p. 1244 decuit, e re amici iudicavit. Inter ditissimos Athenienses habebatur, ita ut symmoriae attributus (Dem. or. 21 p. 565) trierarchiae munere fungeretur. Navem exstruxit una cum Archebio anno 355, qua usi Androtion eiusque socii in Cariam legati navigabant (Dem. or. 24 in Timocr. p. 703 cf. hypoth.). Atque huc potissimum Isocrates l. c. in oratione de permutatione duobus annis post (353) edita spectabat, qui merita viri ditissimi et beneficia in publicum collata perhibebat. Ille enim civis liberalissimus in omnium ore versabatur, quare Anaximeni vel Anonymo Isocrateo in arte rhet. c. 1 notissimum nomen inter judices in exemplo figurae cuiusdam rhetoricae adhibere licuit, quippe quod statim nemo non intelligeret. Isocrati operam dedit Ol. 96 inter priores discipulos. Sodalis eius praeter Eunomum fuit etiam

III. Callippus, Atheniensis, civibus Heracleotarum *πρόξενος* institutus (Dem. in Call. § 5. 9. cf. 25) una cum Archebiade quodam ex demo *Λαμπτραί* qui vocatur (cf. Harpocr. s. v.) oriundus, § 28. cf. 3 quare ne confundas eum cum Paeaniensi rhetore ap. Dem. p. 87 cum schol. Lamptrensis enim ille Lysithides, Isocratis, Apharei amicus est (p. 1240), contra quem Demosthenes Apollodoro Pasionis trapezitae filio orationem a. 369 scripsit. Laude boni civis (cf. Dem. p. 960 sq.) et facundi viri apud populares fructus est, l. c. § 1 atque illud *δυνάμενος εἰπεῖν* eum Isocrateum nobis indicat. Ob trierarchiam rite administratam aliaque de republica merita cum Eunomo et Lysithide coronatus est; neque diutius gloria et vita uti potuit, nam quo tempore oratio Demosthenis pro Phormione habita est, Callippus in Sicilia (cf. p. 960) rem prospere gessit Ol. 106, 4 = 353 (cf. Diod. XVI, 31) paulo post vero ipse interemptus est, Plut. Dion. 58, ubi Rhegium ceperat, Diod. XVI, 45. — Ceterum si idem est Callippus Isocrateus et is qui in Sicilia degebat, quod addubitare noluerim, virtus et probitas viri, quam ipse affectabat, incerta et dubia fuit. Nam callidus et fraudulentus, qualis in Appollodori causa ostenditur, etiam sine ulla fide ac religione amicitiae sanctissimum vinculum turpiter foedavit, qui Dionem amicum gladio jugularet, ut Syracusanorum principatum obtineret. Sed XIII mensibus post urbe ejectus, cuius civitatem sibi vindicaverat (quare „Syracusius" Diodoro XVI, 45 vocatus) postea a. 350 nequitiae poenas luit sociorum fraude obtruncatus. Cf. Wesseling. ad

Diod. ll. cc. Isocrati autem, quum Callippi gratam mentionem faciebat, tum nuntius scelerum nondum allatus erat.

IV. Androtion, Ἄνδρωνος, Ἀθηναῖος, ῥήτωρ καὶ δημαγωγός, μαθητὴς Ἰσοκράτους, Suid. s. v. Isocrateus etiam a Zosimo in vita Is. p. XI habetur. Vim eximiam dicendi eius Demosthenes in oratione contra Androtionem habita § 4 p. 594 sic describit: ἔστι γὰρ — τεχνίτης τοῦ λέγειν καὶ πάντα τὸν βίον ἐσχόλακεν ἐνὶ τούτῳ[11]) cf. p. 614 et 749. Itaque non temerarie Hermogenes suspicatur, Demosthenem orationem illam satis superque summa arte elaborasse, quia sibi cum Isocrateo certandum esset (cf. Walz III, p. 281 c. scholl. V, 513. VI, 329. VII, 1038. cf. Ruhnk. hist. crit. p. 74). Eloquentiam quasi hereditarium donum a patre Androne accepit, quem in philosophia et arte rhetorica versatum apud Plat. Protag. 315 c. Gorg. 487 c. reperies, et qui a Harpocr. s. v. unus ex Quadringentis dicitur. Nostri Androtionis aetatem iam Clintonus recte ex Dem. p. 613 collegit, ubi plus XXX annos in civitate versatus esse fertur; oratio scripta est (Dion. ad Am. p. 724) a. 355, qua re circa Ol. $98^3/_4$—386 ad rempublicam accessit; institutioni Isocrateae autem — quae ante aditum ad res gerendas praecedit — sub finem Ol. 97, a. 390 – 388 interfuerit una cum quinque illis, quos posteriores discipulos ipse magister or. XV, 93 recensuit. Cur Androtionem eo loco silentio praeterierit, ea mihi causa probatur, quod Isocrates viros vitae probitate praeditos neque bonorum civium vexatores perhibiturus fuit, quibuscum Androtionis rabulae mentio facta minime congruisset. Accedit quod tum duobus Demosthenis orationibus (in Andr. et in Timocratem) a. 355 et 352 acerrime petitus malis artibus et fraudibus detectis, apud populum male audiebat, et, quod contenderim, tum iam patria profugus Megaram se suamque fortunam contulerat.[12])

V. Timotheus, Canonis filius, Atheniensis. Ut paucis ex absolvamus, quae Pfundtius p. 15 sq., cui Sauppius in recent. l. c. p. 405 assentitur, docte et erudite illustravit, tenendum est Timotheum inde ab Ol. 99 in Isocratis familiaritatem se insinuasse; quae

[11]) ad quem locum scholiasta mira inscientia Androtionis malas artes fraudandi ex Isocratea institutione haustas esse ratus annotavit, ὅλον γὰρ ἤλασε τὸν βίον εἰς τὸ καθορθῶσαι τῆς ἀπάτης τὴν τέχνην· ἔστι γὰρ οὗτος τῶν Ἰσοκράτους ἑταίρων ἐπίσημος.

[12]) De Androtione Atthidis scriptore, qui idem cum demagogo est in fronte capitis IIII disseremus.

erga magistrum pietas et benevolentia eum commovit, ut itinerum consortem eum a. 377—376 faceret (cf. Ps. Pl. 837 C. Phot. 160. Rehdantz. vit. Iphicr. p. 178 sqq.). Notissimae litterae ex prosperrimis expeditionibus a Timotheo ad Atticum populum datae scriptaeque ab Isocrate fuisse videntur, quae in Macedones et Philippi maiores conversae tetrae in ep. Socrat. 30 p. 39 ed. Orelli vocantur. Addendum videtur, quod magister illum clarissimum et certissimum amicum habuit, quo ad mortem eius usus, cuius laudibus ipse or. XV § 101—139 plenus est, quae orationis pars epitaphii tanquam vel encomii loco in amicum nuperrime mortuum (cf. § 101) scripta videtur [13]. Virtutes eius et instituta militaria civiliaque

[13]) De temporum ratione in Timothei lite et morte inque Isocratis illa oratione definienda adhuc incerta et perversa denuo Frid. Vaterus in quaest. hist. fasciculo I „de Isocratis qui fertur epistolis“ Kasani 1846 novos calculos p. 18—25 protulit, quibus assentiri non possum; quamquam etiam vulgarem virr. doctt. sententiam de anno 354 prolatam reiicio. Cum Vatero „totam disputationem ex Dionysii loco p. 480. R excusso velut ex arce“ nos quoque regimus: sed si Dionysius sibi in p. 667 sq. non constat et de causa Timothei sub archonte Diotimo a. 354, de Iphicratis lite sub Elpine a 356 cogitat, id ex eo proficiscitur, quod Dionysius priori loco p. 668, quod ipse Vaterus recte monuit, alios fontes quam Isocratis orat. XV non inspiciens, suo Marte calculum ad archontes descripsit; illo autem loco ubi de Lysiaca oratione pro Iphicrate agitur, mea sententia in ipsius Lysiae aetate describenda ratio eum fefellit. Nam paullo ante p. 479. Lysiae mortem posuit in Ol. $100^2/_3$, — *εἰ γὰρ ὀγδοηκονταετῆ γενόμενον θήσει τις τελευτῆσαι Λυσίαν ἐπὶ Νίκωνος ἢ ἐπὶ Ναυσινίκου ἄρχοντος*, — i. e. a. $^{379}/_{78}$; sed ipse Lysiam XX annos maiorem natu esse quam Isocratem p. 534 dixit, natum igitur 456, quare octogenarius a. 377—376 esse debuit et eam rectam ratiunculam ipse secutus est, quum inter Lysiae mortem et orationem Iphicrateam, quam in bellum symmachicum retulit a. 356, spatium XX annorum (376—356) (nisi forte illud *ἀλλὰ καὶ κ' ὅλοις* commutare vis in *ἀλλ' α'καὶ κ'* (= XXI) interiecerit. Hoc non vidit Vaterus neque illud, quod Dionysius hoc modo causas imperatorum duobus annis disiunxerit. Tamen in utroque loco falsas rationes ex utroque oratione Lysiaca et Isocratea, ad falsos archontes conformavit, nam res ita se habet: Imperatorum accusatio *εἰσαγγηλία* Dionysio l. c. vocata iam in ipso bello Elpine archonte 356 i. e. sub finem eius et initium a 355 facta sed non statim causa acta est; bello quidem finito media aestate 355 archonte Callistrato (Diod. XVI 22. cf. 7) duces tres in ius vocati et, postquam *εὐθύνας* reddiderunt, Iphicrates et Menestheus absoluti Timotheus condemnatus est auctumno anni 355. Interea Aphareus de permutatione contra Megaclidem a. 356—355 vivo igitur Timotheo et cum Menestheo et Iphicrate profecto (Dion. 667. cf. Diod. XVI, 15. 21. Nep. Tim. 3. Isocr. XV, 129.) locutus est; Timotheus autem exitu anni 355 odio ingratae civitatis Chalcidem abiit, ubi paullo post morte defunctus est; quare a 354, quum Lysimachus Isocrati alteram permutationem

summis laudibus (§§ 114—129) et illud potissimum effert, quod tot socios clementia animique liberalitate et aequitate ad Atheniensium foedus perduxerit (122). Atque ita quidem proxime ad Isocratei ingenii speciem accedit, ut non superbia elatus neque militari arrogantia neque ullo alio vitio affectus sit (131) sed vitae probitate et morum integritate conspicuus nimiam gloriam et existimationem apud populares spernens civis inter cives vitam degere voluerit. Idque, quod favorem et auram populi captare et res cotidie incidentes ad suum usum convertere nunquam studuerit (132—138) id solum vitio ei ab Isocrate datur, quod idem in ipsa quoque Isocratis indole et natura reperire licet. Ceterum ad praeceptoris perfectum ingenii instar Timotheus vivendi et agendi rationem conformavit, et eum in primis Isocrates intellexerit in or. XII, 87 professus, se magis iis familiaribus delectatum esse, qui vitae probitate et rebus gerendis excelluerint, quam eloquentia conspicuis. Accedit iudicium auctoris incerti Erotici, qui Demosthenes fertur, — Androtionem plus semel Coray in Isocr. edit. esse voluit, cf. Westerm. hist. gr. el. p. 305 — et qui nimio Isocratis favore non plane integrum iudicium tamen veri quandam speciem praebet: *Τιμόθεος οὐκ ἐξ ὧν νεώτερος ὢν ἐπετήδευσεν, ἀλλ' ἐξ ὧν Ἰσοκράτει συνδιατρίψας ἔπραξε, μεγίστης δόξης καὶ πλείστων τιμῶν εὑρήσεις ἀξιωθέντα.*

VI. Leodamas, Acharnensis, orator. Isocrateus vocatur ap. Ps. Pl. p. 837 D. Phot. 260 p. 486. Eum Saupp. Or. Att. II, 216 recte a Leodamante in XXX imperium incidente secrevit; noster enim minor natus primum in publicum prodierit a. 376 post pugnam ad Naxum commissam, sub idem enim tempus auctorem plebisciti de donis in Chabriam victorem conferendis in ius vocans (Demosth. p. 482. 501. 502) ipse iudicio cecidit. Postea legationem ad Thebanos suscepit una cum aliis Thebanorum amicis. Tum in causa Oropia accusator Chabriae et Callistrati exstitit a. 366, cuius orationes fragmentum pusillum adhuc servatur ap. Arist. rhet. I, 7. Postremo inter iudices publice creatos legis Leptineae una cum Aristophonte Azeniensi a. 354 (Dem. p. 501) numeratur. Is institutionis Isocrateae indicia dicendi vim et oratoriam dexteritatem prae se ferebat

---

rerum oblaturus in mortuum illum amicum conviciis inveheretur, Isocrates, postquam trierarchiam rite administravit, anno 353 oratione „de permutatione“ inscripta calumnias pravorum hominum in se suumque amicum coniectas refutare instituit.

Dem. l. c. quin Aeschini III, 138 videbatur *οὐχ ἧττον Δημοσθένους λέγειν δυνάμενος ἀλλ' ἔμοιγε καὶ ἡδίων*; quamquam hoc non sic intelligendum est, ac si Aeschines solius Leodamantis imitator, ne dicam discipulus, fuerit, cf. Ruhnken. p. 63.[14])

VII. Hieronymus, Arcas, Megalopolita, orator et demagogus. Isocratis discipulus a scholiastis in Dem. fals. leg. p. 344 habetur; idem iam inter urbis, quae *Μεγάλη πόλις* vocata est, conditores apud Pausan. VIII, 27, 2 sub Ol. 102, 3 = 370 legitur, quamquam Plut. c. Colot. 32 p. 1126 C Platonem Aristonymum quendam discipulum suum ad urbem exornandam misisse narrat. Sed iam Schaeferus Dem. u. s. Z. II, p. 160) hic quoque de Hieronymo cogitavit, et equidem contenderim, ut Pythonem sic etiam Hieronymum Athenas migrasse, ut ad artem oratoriam Isocrate magistro, Platone autem duce ad philosophiam incumberent. Arcadem autem disciplina modo finita a Platone ad leges novi oppidi constituendas domum missum esse. Itaque institutione Isocratea sub finem Ol. 100, qua Leodadamas, fructus fuerit. Philippi et Macedonum partes secutus (cf. Theopomp. ap. Harpocr. s. v.) Aeschini cum legatis in Peloponnesum a. 347 post Olynthum expugnatam vehemens adversarius exstitit (cf. Dem. l. c.). Magna vi dicendi praeditus, utpote qui Isocrateus erat, patria deserta populares suos ad perniciem perduxit (Dem. de coron. p. 324).

VIII. Diophantus, Atheniensis, dux, in Isocr. ep. VIII § 8 una cum Conone et Timotheo inter eos refertur, qui beneficia in Mytilenaeos contulerunt et Isocratis preces, si ipsi adessent, efficaciores auctoritate sua et officiorum coniunctione quam cum Lesbiis inierant redderent. Inde elucet, Diophantum similem ac Cononem et Timotheum familiaritatem cum Isocrate habuisse vitaeque simili ratione usum amico vel praeceptori quam maxime favisse; idem post Timothei mortem a. 354, quo tempore epistola scripta est, ex Asia nondum redux erat (l. c. *εἰ ... Διόφαντος δ' ἧκεν ἐκ τῆς Ἀσίας*); atque hic Diodorus auxilio succurrit, qui sub Ol. 107, 3 = 350 narrat,

[14]) Leodamantis oratoris familiaritate fratres Sunienses Hegesander et Hegesippus usi sunt (Aesch. in Tim. 111, cf. Schol. ad 69), qui ab iisdem cum illo partibus steterunt (Diog. L. III, 23 sqq. cf. Harpocr. s. v. *Κρωβύλος* et *Ἡγησ.* vide Saupp. O. A. II 257 sq.) Consuetudinem eorum, quam Aeschines amatoriam et impudicam notavit, equidem magis ob oratoriam institutionem quaesitam fuisse crediderim. (Aesch. I. 69 sq. cf. Schaefer, Dem. etc. II, 3:0 sq.).

Diophantum Atheniensem ducem, Ocho rege Persarum victo, Aegyptum in libertatem vindicasse.[15]) Neque dubitari quit, quin idem Diophantus in epistola illa Isocratea occurrat, qui postquam Persas in turpem fugam converterat, etiam insulas maris Aegei et Graecos Asiae oras colentes a regno barbarorum liberavit, unde beneficia in Mytilenaeos proficiscuntur. Illum igitur ducem virtute imperatoria et ingenii acumine conspicuum Isocrates inter auditores suos habuit, cuius familiaritatis grata memoria utebatur.[16])

IX. Lycoleon, Atheniensis, orator, a Ruhnkenio in Isocrateorum seriem (hist. crit. p. 64), quam inde a p. 61 illustrat, immissus est, neque a nobis removetur, postquam Westermannus quoque Ruhnkenio assentitus est (h. el. p. 83. cf. Rehdantz. l. l. p. 168. Fragmentum orationis pro Chabria ab illo habita, quod exstat apud Aristot. rhet. III, 10. 7, Sauppius ad causam Oropiam a. 365 actam commode retulit. Neque quod, si res ita est, tum duo Isocratei sibi aperte adversati sunt, Leodamas Chabriam accusans et Lycoleon eum defendens, insolentiae speciem ullam habet; ceterum ne memoriae quidem proditum est, qua Chabriae consuetudine Lycoleon usus et qua de causa ad eius patrocinium suscipiendum adductus sit. Cf. Saupp. O. A. II, 249.

X. Clearchus, Ponticus, Heraclea oriundus patriae tyrannidem Ol. 104, 1—2 = 363 occupatam per XII annos usque ad 352 tenuit (Diod. XV, 81. XVI, 36. Memnon. ap. Phot. cod. 224 p. 222. cf. Justin. XVI, 4 sq.). Adolescens ille Athenas profectus Platonem (cf. Phot. et Suid. s. v.) et per quadriennium, quod Isocratei solebant (cf. or. XV, 87), Isocratem audivit, cf. Phot. Tamen non eam animi clementiam et aequitatem morumque integritatem, quam in literis ille versatus praestiterat, tyrannus quoque exhibuit, sed teste Isocrate, qui institutionis eius praeconium tulit in ep. VII, 12 sq. cf. or. XV, 30 mores suos miro modo depravavit. Et nefandam

[15]) XVI, 48: *ἐσχηκὼς γὰρ* (sc. *ὁ μὲν τῶν Αἰγυπτίων βασιλεὺς Νεκτανεβὼς* cf. 47) *τοὺς τότε στρατηγοὺς ἐπιφανεῖς ἄνδρας καὶ διαφέροντας ἀρετῇ τε καὶ ἀγχινοίᾳ στρατηγικῇ, Διόφαντον τὸν Ἀθηναῖον καὶ Λάμιον τὸν Σπαρτιάτην, διὰ τούτων ἅπαντα κατώρθωσε.* Victoriae gloriosae mentionem Isocrates V, 101 facit, cf. Dem. or. XV, 11. 12. p. 193.

[16]) Expeditionis tempore (a. 351 cf. Schaefer. Demosth. I. p. 437) ut dux clarus et vir illustris (cf. Diod.) fuerit virili aetate, idemque Timothei vicinia in epistolae loco testari videtur; quare tunc temporis XL saltem annos natus scholae Isocrateae Ol. 101 vel 102 interfuerit.

crudelitatem, saevitiam et nequitiam, qua foedissima scelera in cives suos committebat, omnes fere illi scriptores denotarunt. Tamen eruditus homo qui fuit non literas attingere desiit, et bibliothecam primus omnium tyrannorum instituit (cf. ll. cc. Just. et Phot.) Etiam Timothei, quem apud Isocratem cognoverit, consuetudine aliquamdiu usus esse videtur (cf. Westerm. Zeitschr. f. Alt. W. 1844 p. 772 sq.), unde ei Athenienses civitatem donaverint (Dem. p. 482); [17]) Athenis fuerit igitur c. Ol. 100—102 Isocrates autem ingenii felicissimi sic deperditi dolore graviter afflictus, ab illo abalienatus est (ep. VII, 13); neque prius familiaritatem et hospitium pristinum cum eius domo renovavit, quam Clearchus a Leonte et Chione Platonis discipulis (cf. Just. Suid. Phot. qui nomina diversa exhibent) obtruncatus filio optime morato regnum reliquerat. Hunc consiliis sapientissimis epistola illa VII, de cuius fide hic nil dicam, precibusque adiit, ut Autocratorem quendam familiarem et eloquentiae studiosum in officiorum communitatem reciperet.

XI. Python, Byzantius, orator, Isocratis disciplina usus esse in Zosim. vit. Is. p. XI et schol. ad Aesch. II, 125 (ῥήτωρ οὗτος Ἰσοκράτους μαθητής) fertur. Jam ea, quae aditum eius ad rempublicam antecedunt, nihil commendationis habent. Hic enim teste Dem. or. XXIII, 119. 127. 163, quamvis ab Aeno oppido Thraciae (cf. Harpocr. s. v.) oriundus narretur, idem est, qui cum fratre Heraclida Cotyn tyrannum Thraciae Ol. 105 interemit et patria profugus ab Atheniensibus civis factus et corona ornatus est ut optime de civitate meritus (cf. Dem. p. 659. 662 et Schaeferum l. l. I, 138). Sed cum videret, Athenis nec fortunam nec rem familiarem sibi augeri, ad Philippum regem Macedoniae, ut scribae regii munere fungeretur, pervenit, (Demosth. l. c.) a quo postea Athenas legatus missus apud concionem locutus valde placuit (Dem. p. 81 cum schol., 272 cum schol., cf. epist. Dem. p. 1469), cui adversarius Demosthenes exstitit. Magna enim vi dicendi et persuadendi et insigni arte scribendi, audacia etiam et facundia (cf. Dem. ll. cc. et Aesch. II, 125) instructus, ad Isocrateae eloquentiae instar et leges eruditus esse videtur (etiam Platonem audivisse fertur, Diog. III, 46. cf. K. F. Hermann Gesch. d. plat. Phil. I, 74); institutioque cadit in Ol. 103—104 quum Ol. 105 caedem tyranni commiserit. [18])

---

[17]) ad quem familiaritatem nomen filii Timothei qui natu maximus Clearcho erat, referre studet Schaefer l. c. I, 107 contra Rehdantz. l. l. p. 246 sq.)

[18]) Orationum vel scriptorum nil servatur nisi forte epistola Philippi

XII. Lycurgus, orator clarissimus Atheniensis, Eteobutadarum gente ortus Ol. 96, aequalis Hyperidis fuit, quocum Platonem et Isocratem audivit. [19]) Quaesturam ut *ταμίας τῆς κοινῆς προσόδου* (cf. Diod. XVI, 88) per XII annos gessit et ex probitate et amore patriae summa bona in civitatem contulit, quum omnia fere eius temporis aedificia publica et bellorum apparatus ad eum auctorem referantur (cf. Westerm. hist. eloqu. § 55. Schaefer. Dem. II, p. 298 sqq.). Neque invidiam malorum fugit, qui, quum vivo obtrectare nequirent, mortuo maledicere conati liberos in catenas coniecerunt, ex quibus Democlis tandem (Ps. Plut. p. 842 D) et Hyperidis orationibus (cf. Saupp. II, p. 295) soluti prodierunt. Vitam Lycurgi Philiscus Milesius, et ipse Isocrateus, scripsit, quam Olympiodorus schol. ad Plat. Gorg. p. 515 D perhibuit, et, ut par est, Hermippus in Vitarum collectione sua. Et quamvis rigida morum disciplina vitaeque consuetudo et, quod Philiscus recte animadvertit, instituta eius publica Socratis vel Platonis sectatorem indicent, tamen Dionysii verba V, 433 Isocratei quoque generis dicendi nonnulla in Lycurgi dictionem transiisse ostendunt: *ὁ δὲ Λυκοῦργος καὶ ἔστι διαπαντὸς αὐξητικὸς καὶ διηρημένος καὶ σεμνὸς καὶ ὅλος καθηγορικὸς καὶ φιλαλήθης καὶ παρρησιαστικός·* sed quum natura aptam indolem ad festive et polite dicendum recusaverit, *οὐ μὴν ἀστεῖος οὐδὲ ἡδὺς ἀλλ' ἀναγκαῖος* videtur. Cf. iniquius iudicium Hermogenis de id. II,

---

ad Athenienses data, Demosth. op. XII, quam ipse Python a. 343 Athenas pertulit, ab eo ipso conscripta est, quod contra Demosthenem p. 352 sq., qui Aeschinem auctorem epistolae habere voluit, Aeschines ipse opinatus est, quum ei aut Leosthenes aut *ὁ Βυζάντιος Πύθων, ἄνθρωπος περὶ τὸ γράφειν λόγους μέγα φρονῶν* auctor esse videretur. Postquam Benselerus de hiatu p. 81—84 Isocrateam scribendi rationem in litteris deprehendit et Schaeferus Beil. p. 102 et sqq. in eas et in Demosthenicam or. XI inquisivit, non genuinam epistolam nobis traditam sed posteriore tempore suppositam crediderim, eamque ad Isocrateas leges scribendi ab imitatore styli splendidi compositam.

[19]) (Diog. III, 46. Ps. Plut. p. 841 B. 848 D. Zosim. vit. Is. p. XI. Phot. cod. 260) postquam, Westermanni coniectura recepta, locum vitiosum Ps. Plut. 837: *καὶ Λάκριτος ὁ νομοθέτης Ἀθηναίοις*, quem Photius cod. 260 sic exscripsit *κ. Λάκρ. ὁ νομοθετήσας Ἀθ.* emendaveris: *κ. Λάκρ. ὁ Φασηλίτης καὶ Λυκοῦργος ὁ νομοθετήσας Ἀθηναίοις*. Ps. Plutarchus viri praestantiam ad Isocratis doctrinam retulit: p. 841 B. *εἶτα καὶ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος γνώριμος γενόμενος ἐπολιτεύσατο ἐπιφανῶς καὶ λέγων καὶ πράττων, καὶ δὴ πιστευσάμενος τὴν διοίκησιν τῶν χρημάτων.*

p. 389 W. Perspexit illud Maetznerus, quamquam in commentario suo Lycurgi plus quam debuit ad Isocratem retulit.

XIII. Hyperides Collytensis, orator clarissimus et demagogus. Ciceronis (de or. II, 23) iudicium non nisi de imitatione Isocratis accipiendum. Ps. Plut. p. 837 D institutionem eam addubitavit, idemque p. 848 D confidentius *ἀκροατὴς δὲ Πλάτωνος* (cf. Diog. L. III, 46) *γενόμενος τοῦ φιλοσόφου ἅμα Λυκούργῳ* (nam sic pro vitioso genitivo in *ου* cadente scribendum censes quare Westermann. false de magistro Lycurgo cogitavit h. eloqu. § 60) *καὶ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος* quod iisdem fere verbis Suidas quoque s. v. et Phot. c. 266 servavit. Accedit Zosimi haud spernendum testimonium p. XI. Dind.: *ἔσχε δὲ μαθητὰς* sc. *Ἰσοκράτης*) *Ὑπερείδην, Ἰσαῖον, Λυκοῦργον, οἵτινές εἰσι τῶν ι' ῥητόρων τῶν κριθέντων τε καὶ ἀναγινωσκομένων,* et Philostratus in vit. soph. I, 17, 4 eum *ἐλλογιμώτατον ἀκροατὴν* appellavit. Postremo Hermippus eum inter Isocrateos retulit, qui teste Athenaeo VIII, p. 342 C in tertio libro operis de Isocratis discipulis: *ἑωθινὸν τὸν Ὑπερίδην ποιεῖσθαι νῦν τοὺς περιπάτους ἐν τοῖς ἰχθύσιν* (cf. Ps. Pl. 849 D), i. e. in foro piscario; nam ut rebus amatoriis sic cupediorum et heluationum studiis ligurritor ille deditus etiam comicis ludibrio erat. Primum quidem ab orationibus pro aliis mercede scribendis victum suum cepit (Ps. Plut. 848 E), tum ad rempublicam aditu aperto magnus Macedonum adversarius Demostheni amicus exstitit. [20])

---

[20]) Hic Lozynskium reprehendam, qui perverse Hyperidem Demosthenis auditorem vocavit (Hermippi frgm. p. 43) insistens loco Ciceroniano Brut. c. 9: „Demostheni Hyperides proximus", quod nil aliud hoc loco subjungi potest quam, Hyperidem proxime ad Demosthenis praestantiam accessisse; de nimia laude eius cf. Ps. Pl. p. 849 D et Phot. l. c. Vim oratoriam et genus scribendi accuratius Schaefer. Dem. II, 306 sqq. aestimavit.

Patris exemplo et institutione rhetorica filius Glaucippus eruditus esse videtur, qui rhetoricam artem mediocri successu profitebatur: Ps. Plut. 848 D *ἔσχε δὲ υἱὸν ὁμώνυμον τῷ πατρὶ* (i. e. avo) *Γλαύκιππον, ῥήτορα καὶ λόγους συγγράψαντα,* qui ossa patris a. 322 interempti in patrio monumento sepelivit, Suid s. *Ὑπερ.* cf. Ps. Pl. 849 C. Mentio eius fit apud Plut. Phoc. 4. cf. Athen. XIII p. 590 C. Phot. l. l.

Euthias Atheniensis, Phrynes accusator, Isocrateus non est, quamquam Hermippo in Isocrateorum libris commemorabatur (Athen. XIII, 590 D. VIII, 342 C. cf. Harpocr. s. v. *Εὐθίας* et Lozynski frgm. 72). Auctor enim, ubi de Hyperide loquebatur, meretricis illius pulcherrimae mentionem faciebat et Euthiae, qui eam impietatis ream itaque ipsum Hyperidem in ius vocatum reddi-

Atqae haec quidem de prima classe hactenus, maiora moliri noluimus, quamvis enim virorum in republica illo tempore conspicuorum haud exigua multitudo Isocratea institutione usi fuerint, tamen eius disciplinae memoriam oblivio invida et fere perpetua obruit; tantumque abest, ut plane de ea re desperemus, ut hanc quaestionem finire, quam immaturis opinionibus et temerariis suspicionibus antiquas literas tentare maluerimus.

Caput III.

Secunda classe rhetores et literati homines continentur

sive ii qui et in artem rhetoricam tradendam artiumque libros scribendos et in studia humanitatis ac literarum inque monumenta antiquitatis tractanda operam contulerunt.

XIV. Metrodorus Chius, rhetor, Isocrateus vocatur a Suida s. v. Theocritus; quod si verum est, Metrodorus inter eos certe fuit, quos Isocrates in insula Chio a. 398—395 docuit, nam si iste deinceps Theocriti, Theopompi aequalis, magister factus est, ipsa eius rhetorica institutio in prioribus Isocrateae disciplinae annis ponenda est. Suidas autem alio loco s. v. *Δημόκριτος* Metrodorum Democriti philosophi auditorem et magistrum Anaxarchi et Hippocratis medici appellavit. Conturbata temporum ratio videtur, medela autem ex Hippocratis Coi. aetate sumenda. Jam Reinesius falsum hoc de Coo medico dictum esse vidit. Fuerunt enim, qui Hippocrati et Democrito eosdem mortis et natales annos tribuerent, cf. Clint. ad 460 et 357, idque primo obtutu depravatum apparet, quum utriusque aetatis anni, quos vixerint, incerti et varii traditi sint. Medicus in Thessalia habitabat, amicus regis Perdiccae (Suid.) et nunc nobis succurrit narratiuncula suavissima. Auctor anonymus vitae Hipp. (ap. Westermann. vitt. scriptt. p. 450) Perdiccam cupiditate flagran-

---

dit. Euthias autem accusationem, teste Harpocratione, ab Anaximene scriptam accepit, neque semel judicio lapsus in publicum prodiit (Ath. 13, 590 D).

tem Philae, patris modo mortui concubinae, aegrotasse narrat. Pater Alexander c. Ol. 81—82 obiit (cf. Clint. p. 238), filiusque aeger Hippocratem arcessivit, cuius fama tum iam percrebuerat. Is, causa morbi explorata, Philam amicam ad Perdiccam admovit regemque sanavit. Hoc non nisi c. a. 456—450, paulo post Alexandri mortem factum esse potest, Hippocrates autem tum XXX fere annos natus fuerit, quare natalis eius annus incidit in Ol. 75, 1 = 480.[21]) Mortuus est igitur a. 370, quo anno Democritus secundum Diod. XIV, 11 XC annos natus obiit. Sic enim complentur Hippocratis aetatis CIX anni[22]). Quare primum Hippocrates discipulus Democriti non fuit, quod Suidas iam addubitavit: *ὡς δέ τινες (Ἱππ. μαθητὴς γέγονε) Δημοκρίτου τοῦ Ἀβδηρίτου· ἐπιβαλεῖν γὰρ αὐτὸν νέῳ πρεσβύτην.* Sic enim contra Custerum, qui *νέον πρεσβύτῃ* correxit, legendum est, nam Hippocrates XX annos maior natu tum ad philosophum *ὡς νέον* accessit, non vero ut doceretur, sed, quod autor vitae anonym. dicit, ut insanientem illum sanum redderet; nam, sic pergit ille, Abderitas ad delirantem civem medicum clarissimum arcessivisse, et sic maiorem natu ad minorem venisse, cet. Neque medicus ille Metrodori fuit discipulus, qui sub vitae illius finem floruit. Cogitandum est de iunioris medici eruditione Hippocratis Coi, qui primi illius nepos et Thessali vel Dracontis filius erat, quorum memoriam ut quarti et tertii eius nominis Suidas tenuit.[23])

XV. Caucalus, Chius, rhetor. Quod eum in Isocrateorum seriem receperim sine certissimis testimoniis veterum, his utor argumentis. Est enim hic *Χῖος ῥήτωρ Καύκαλος ὁ Θεοπόμπου τοῦ*

---

[21]) Marmor Parium no. 59 et 62, quod Perdiccae regnum intra annos 461 et 420 includit, errore septem annorum teneri videtur, quum rectius Thucydides VII, 9 anno 414 regem superstitem tradiderit.

[22]) quos auctor vitae (l. c. p. 451) numerat: *ἐτελεύτα δὲ παρὰ Λαρισσαίοις, ὅτε καὶ Δημόκριτος φέρεται τελευτήσας, καὶ οἱ μὲν ϟ' ἐτῶν οἱ δὲ πέ' φασιν, ἄλλοι ρδ', τινὲς ρθ' τελευθῆσαι.*

[23]) Praeter hunc Hippocratem Anaxarchus Metrodori auditor probatur Suidae s. v. Democr. *οὗ* (sc. *Μητροδώρου τοῦ Χίου*) *πάλιν ἀκροαταὶ Ἀνάξαρχος καὶ Ἱπποκράτης ὁ ἰατρός*; de quo vide Pauly Realencyklop. s. v. Nobilissimus denique discipulus Theocritus est, qui adversarius Theopompo historico exstitit, Strab. XIV, p. 645, ab eodem in Alexandri Magni odium vocatus est cf. Theop. frg. 276. ap. Wichers. Cf. de eius ingenii acumine et dicendi magna vi deque libris ei suppositis Muelleros fratr. in frgm. hist. graec. II. p. 87. Bernhardyum ad Suid. gl. Ex discipuli insigni doctrina et expolita eruditione magistri Metrodori paeclaram institutionem philosophicam et oratoriam coniectura colligere licet.

ἱστοριογράφου ἀδελφὸς, qui ab Athenaeo X, 412 A sq. ἐν τῷ τοῦ Ἡρακλέους ἐγκωμίῳ citatur cf. Westerm. hist. el. § 50, 8. O. A. II p. 246. Muelleri O. A. II, 347. Eum igitur maiorem natu quam Theopompum argumentum encomii ostendit, quippe quum eae declamationes tempore extremo Gorgiae et Polycratis, Alcidamantis et sub initium scholae Isocratis apertae (quales eius Helena et Busiris apparent) fuerint usitatissimae. Ceterum in patria aliquamdiu artem sophisticam professus videtur esse, quum paucis annis post Theopompum natum pater Damasistratus patria expulsus cum suis Ephesum sese contulerit; ad illud tempus Caucalus XX annos in rhetorica facticanda consumpserit. Vetustioris autem magistri apud Chios artem eam docentis alia nulla nisi Isocratis memoria exstat; quare Caucalus quoque Isocrateus mihi comprobatur.

XVI. Isaeus, unus ex X oratoribus, Atheniensis in Euboeae insulae oppido Chalcide a parentibus colonis Atticis ortus (cf. Liebmann de Is. p. V) c. Ol. 91, Athenas a. 411 deductus, primum ad Lysiam tum ad Isocratem se contulit; hunc quidem magistrum appellant Anonym. vel Zosim. vit. Isocr. p. XI. Ps. Plut. p. 839 E, postquam locus corruptus, ut supra in praefat. cap. II docuimus sic restitutus est, σχολάσας Ἰσοκράτει ἐζήλωσε Λυσίαν. Hic Isaei vitae scriptor sua hausit ex Hermippi opere de Isocrateis discipulis, unde etiam ex II. libro Dion. H. V, 586 et Harpocrat. s. v. Ἰσαῖος sua se desumpsisse fatentur (cf. Phot. c. 260, Vit. in Aldina ed. praemissa, Favor. Suid. s. v.); talia firmissima testimonia de magisterio Isocrateo in Isaeo infringi nequeunt. Magis autem Lysiae quam Isocrati imitando Isaeus operam dedit, quod et ex singulari iuris Attici peritia et ex orationum Lysiaco genere elucet, quare teste Plutarcho l. c. τὴν τῶν ὀνομάτων ἁρμονίαν καὶ τὴν ἐν τοῖς πράγμασιν δεινότητα adeo sibi acquisivit, vix ut quisquam orationes, cujus sint, discernat. cf. Phot. cod. 263. [24])

---

[24]) Itaque Demosthenes tutores improbos in jus vocaturus non Isocrati sed Isaeo se adjunxit (cf. Schaeferi Demosth. I inde a p. 254). Isaeus scholae oratoriae praefuit, aliisque pretio soluto orationes scribere solebat, et a Plutarcho (de glor. Athen. VIII p. 350 C) inter optimos magistros refertur; τοὺς ἐν ταῖς σχολαῖς τὰ μειράκια προδιδάσκοντας — τοὺς Ἰσοκράτεις καὶ Ἀντιφῶντας καὶ Ἰσαίους. Restat ut breviter de eius arte dicam, cuius Ps. Pl. p. 839 F mentionem facit: καταλέλοιπε . . . καὶ ἰδίας τέχνας, in qua arte fines Isocratei politici generis dicendi latius produxisse videtur: πρῶτος δὲ καὶ σχηματίζειν ἤρξατο καὶ τρέπειν ἐπὶ τὸ πολιτικὸν τὴν διάνοιαν. Isocratea vero praecepta

XVII. Philiscus, Milesius, Isocratis discipulus ap. Anon. (Zosimum) vit. Is. p. XI, Suida s. v. et Ps. Plutarcho p. 836 B legitur ὁ Ἰσοκράτους μὲν γνώριμος ἑταῖρος δὲ Λυσίου. Praeterea bis Dionysio (ep. ad Amm. c. 2, jud. de Isaeo c. 19) inter aequales et imitatores illius refertur. Praestantis ingenii vi conspicuus, qui prius musica arte ut αὐλητὴς παραδοξότατος excelluerit, Lysia suasore, ut videtur, duce Isocrate ad rhetoricam se contulit. Neque mediocrem locum inter Isocrateos tenet, nam, ut viri literati, eius et historica opera et rhetoricae artes orationesque et memorabilia velut Ἰσοκράτους ἀπόφασις, Lycurgi vita (cf. sub Lyc.) numerantur et multa, quae Suidas Philisto historico Naucratitae vel Syracusio tribuit, ad nostrum referenda erunt, quod de forensibus orationibus recte voluit Ruhnken. p. 83. Qua ratione Suidae perturbatae notae in integrum redigantur Wesseling. ad Diod. XIII p. 615 docuit, qui vestigia alius Aegyptii scriptoris tenere studet, quae Bernhardyus ad Suidam amplius exploravit. Prior igitur Suidae Philistus Syracusis ortus est Dionysii familiaris, qui Siciliae historias composuit; alter est Naucratita ex Aegypti urbe oriundus, qui ad Aegyptum spectantia omnia scripserit. Similia alius Naucratites Charon confecit vide Suid. s. v. Tertius noster Isocrateus est Philiscus Milesius cuius τέχνη ῥητ. per errorem in articulum irrepsit, quo de Syracusano illo agitur.

In aetatem describendam primum valet, quod Philiscus Lysiae amicus epigramma in mortem eius scripsit ap. Ps. Pl. 836 C; quare ante annum 378 aliquamdiu rhetoris consuetudine usus fuerit; tum quod Lycurgi vita ab eo post ann. 323, ut par est, composita fertur. Quare sub finem belli Peloponnesii natus plus quam LXXX annos vixerit. Adolescens ob musicam exercendam Athenis versatus,[25]) inque familiaritatem Isocratis insinuatus cotidianis disputationibus eius interfuerit unde Isocratis dicta vel facta vel memorabilia (ea enim argumenta liber qui ἀπόφασις inscribebatur, habuerit) colligere potuit. Praecepta autem oratoria duobus artium libris, qui citantur Suidae, condiderit proxime ad instar Isocrateae artis

---

adhibuisse etiam ex Dionysii ep. ad Ammaeum I, 2. p. 722 patet, ubi inter παραγγελμάτων τεχνικῶν συγγραφεῖς καὶ ἀγωνιστὰς λόγων ῥητορικῶν una cum Isocrateis Theodecte, Philisco, Cephisodoro, qui artes plerique ediderunt nominatur. Cf. Dion. iud. d. Is. c. 3. p. 589 sq. Spengel. art. script. p. 181. —

[25]) quam ob rem Isocrati iocose tibiorum perforator αὐλοτρύπης appellabatur, quo nomine ipse Is. Strattidi comico (Harpocr. v. Λαγίσκα) deridebatur.

accedens. Ex illa dictorum collectione pleraeque, quae nunc servantur, sententiae haustae videntur, in arte autem una cum ceteris Isocrateis praeceptoris vim ac praestantiam non adeo consecutus est, ut cum illo comparetur. Cf. Dion l. c. Cic. de or. II, 23.[26])

XVIII. Speusippus, Myrrhinusius, philosophus, qui Platoni avunculo successor factus est in Academia (cf. Suid. s. v. Diog. L. IV, 1) Isocrateae quoque disciplinae aliquamdiu operam dedit (l. c. 2), mox autem Isocrati abalienatus — ut plurimi Academici cf. Spengel. Plato u. Isocr. et quae in cap. extrem. dicemus — Platonis praeceptis insistebat (*καὶ ἔμμεινε μὲν ἐπὶ τῶν αὐτῶν Πλάτωνι δογμάτων* c. 1). Isocratea autem doctrina Speusippum usum esse iam inde colligitur, quod illius praecepta clandestina, quae ut mysteria occulte tenebantur, vel *τὰ παρὰ Ἰσοκράτους καλούμενα ἀπόρρητα* (l. c. 2) promulgasse fertur.

XIX. Naucrates vel Nausicrates, Erythraeus, rhetor, Isocrateus reperitur ap. Cic. de or. II, 23. III, 44. cf. orat. 51. Quint. III, 6, 3. Vim eius oratoriam ad funebres laudationes conversam Dionysius in arte rhet. VI, 1 testatur, ubi *ὁ τοῦ Σωκράτους* ex Sylburgi coniectura in *ὁ τοῦ Ἰσοκράτους ἑταῖρος Ναυκράτης* commutatum est. Eum enim alio loco p. 626 inter sectatores et imitatores Isocratis commemoravit. Testimonio deinde accedit, quod

---

[26]) Inter Philisci discipulos duo soli Neanthes Cyzicenus et Timaeus historicus Tauromenita Suidae innotuerunt. Ille quidem Neanthes teste Suida *ἔγρ. περὶ κακοζηλίας ῥητορικῆς καὶ λόγους πολλοὺς πανηγυρικούς* (sic enim Eudocia mancam Suidae glossam sub finem p. 309 integriorem reddidit), et rhetoris haud spernendi commendationem tituli librorum proferunt. Timaeus autem a. 310 (cf. Muelleri frg. hist. Gr. I inde a. p. 59) ab Agathocle tyranno patria eiectus, Athenasque profectus, mortuum Philiscum — si computatio nostra recte se habet — praeceptorem habuisset. Alius hic Timaeus et ipse Cyzicenus Philisci auditor putandus est, qui a Democharo falso (ap. Athen. XI, 15, p. 109) inter Platonis discipulos habetur, quum Diogenes Laert. III, 46 loco eius Timolaum quendam posuerit; hic cum illo historico ob ingenii et rerum tractatarum similitudinem — quod recte vidit Muellerus l. c. p. 50 — confundi facillime potuit. Ad eundem *συλλογὴν ῥητορικῶν ἀφορμῶν*, contra Ruhnkenium in praef. in Tim. p. XIV, retulerim ut ad Isocrateum rhetorem. Opus autem *περὶ Πυθαγορικῶν* tribuerim, ut par est, Timaeo philosopho Pythagoreo (cf. Suid. s. v.). Tamen quum teste Dionysio *οἱ Ἰσοκράτην καὶ τὰ Ἰσοκράτους ἀποτυπώσασθαι θελήσαντες ὕπτιοι καὶ ἀσύστροφοι καὶ ἀναλθεῖς . . . οἱ περὶ Τίμαιον καὶ Ψάωνα καὶ Σωσιγένην* sint cf. Longin. de subl. IV, 1, p. 11 male expressum Isocrateum genus dicendi reddidisse Timaeum constat.

Suid. s. v. Ἰσοκρ. Ἀμύκλα et Θεοδέκτης eum inter quatuor illos oratores numerat, qui ad Mausoli certamen funebre profecti de praemio inter se certarunt. Etiam artium libros conscripsisse videtur, quod Quint. l. c. statum orationis (στάσιν) a Naucrate traditum narrat, qui alio nullo loco nisi in artium libro reperiri potuit; in eoque locus fuerit verborum, quae Cicero de or. III, § 173 ex Naucrate affert de numerosa Isocratis dictione.

Is quamquam ad Isocratis praestantiam non ascendit (cf. Dion. p. 626) tamen inter Graeciae de litteris optime meritos viros principatum eloquentiae tenet, qui teste Theopompo una cum Isocrate praeceptore et Theodecte et Theopompo ipso τὰ πρωτεῖα τῆς ἐν λόγοις παιδείας habuerit (fragm. 26 ap. Phot. cod. 126). Magna viri arrogantis illius vox, cui tamen veri species inest.

XX. Aesion, Atheniensis, rhetor, Demosthenis et Theopompi condiscipulus vel studiorum socius; apud Suidam s. v. Δημοσθ. legitur: συνεφιλολόγησε (sc. Δημοσθένης) δ' Αἰσίωνι τῷ Ἀθηναίῳ καὶ Θεοπόμπῳ τῷ Χίῳ φιλοσόφῳ. — Etiam post vocem αἴσιος eius memoria exstabat, quae nunc exstincta est. Quomodo autem et quid de illa societate cogitandum sit, certe explorari nequit, nisi quis de privatis disputationibus (quae ἴδιαι συνουσίαι vocantur) coniecturam facere velit. Mihi quidem huc spectare videtur, quod in Plut. Dem. c. 11 Hermippus Aesionem differentiam inter veteres oratores et aequales suos illustrantem facit, hic autem Demosthenis ut aequalis sui orationes aestimat. Criticus igitur est et vicinia Theopompi, iudiciumque incorruptum et intelligens Isocrateum mihi indicant. Unum enunciatum ex scriptis eius apud Aristot. art. III, 10, 7 exstat, cui similis metaphora ex Isocrate (Phil. 12) continuo additur. Filius eius Euctemon quidam legitur in Dem. contr. Meid. § 165 p. 567. Cf. Ruhnk. p. 75.

XXI. Cephisodorus, rhetor, saepius inter Isocrateos censetur ab Athenaeo II, 60 B; III, 122 B; VIII, 354 C; Dionysio γνησιώτατος eius ἀκουστής videtur V, p. 577 cf. 626 et 722. Utque auditor summe germanus itaque defensor insignis praeceptoris sui contra Aristotelis impetus exortus τὴν πάνυ θαυμαστὴν ἀπολογίαν ἐν ταῖς πρὸς Ἀριστοτέλη ἀντιγραφαῖς composuit; idem Themistio Soph. p. 285 B una cum Eubulida et Timaeo et Dicaearcho inter στρατὸν ὅλον τῶν ἐπιθεμένων Ἀριστοτέλει τῷ Σταγιρίτῃ refertur, (quamvis non satis constet, num Stagirita iste fuerit an Siculus rhetor, quem Jonsius et Menagius (Diog. V, 35) voluerunt).

Ceterum in Platonem ipsum scriptis suis Cephisodorus animadvertit teste Dionysio p. 757, neque odio vel falsa praeiudicata opinione ductus, sed veritatis quaerendae causa. Etiam artem rhetoricam, si Dionysium ep. ad Amm. I, 2 p. 722 legeris, eum conscripsisse coniicies. Postremo, ut multi Isocratei, ad historiam se contulit, cuius liber XII πέρὶ τοῦ ἱεροῦ πολέμου ab Anonymo ad Arist. eth. Nicom. III, 46 b laudatur cf. Ruhnken. p. 82. Patriam eius ex Athenaeo XII p. 548 E colligere licet, ubi Κηφισόδωρος ὁ Θηβαῖος historicus Westermanno ad Vossium p. 413, 14 idem ac Isocrateus esse recte videtur. Ex iis quae attuli luculenter patet, Cephisodorum eruditum et Isocrateis praeceptis optime excultum scriptorem nobis invidi temporis iniuria ereptum esse.

XXII. Lacritus, Phaselita rhetor, Isocrateus laudatur a Ps. Plut. p. 837 (cf. Phot. c. 260), de quo loco emendato vide sub Lycurgo. Demagogus magis et callidus versutusque vir quam literis deditus, tamen in arte rhetorica — si fides habenda Pseudo-Demostheni or. in Lacr. 41 — tradenda versatus. Ea enim oratio adeo disciplinae Isocrateae maledicit, ut e more Demosthenis fieri nequibat. Mentionem factam mille drachmarum quas praeceptori dederit (§ 42 cf. 40) reperies, ex quo δεινός ἐστι καὶ πιστεύει τῷ λέγειν is, qui μέγα πρᾶγμα, Ἰσοκράτους μαθητής reprehenditur (§ 15). Crimini ei datur, quod falsa argumenta tractando populum fallere, divitias discipulosque sibi colligere studeat (§ 41).[27]

XXIII. Theodectes, Phaselita. Hic de rhetore artiumque scriptore, in capite V de poeta agemus. Argute et docte Welckerus (die griech. Trag. p. 1069) eius aetatem circumscripsit, ut annus natalis 375 eveniat, obitusque cadat circa 333; sic Theodectes X annos minor natus quam Aristoteles, maior XXIII quam Alexander M. Iso-

---

[27]) Itaque fratres suos Artemonem et Apollodorum mala et iniusta eruditione instruxisse irato accusatori videtur; quae quamvis acerbius quam rectius dicantur, tamen idoneus testis disciplinae Lacriti Hermippus accedit, qui ap. Plut. Dem. 28 de alio discipulo, Archia, certum nuntium attulit.

Archias Thuriensis, ὁ φυγαδοθήρας appellatus, quia Antipatro vili pretio conductus Atheniensium optimos cives ad necem usque persecutus est, apud Graecos male audiebat. Hyperidem is et Himeraeum et Aristonicum ad supplicium subeundum illi tradidit, Demosthenem in Neptuni templo Calauriae, ut ipse manus sibi iniiceret, coegit. Hic Anaximeni operam dedisse Demetrio Periegetae ap. Plut. Dem. 28, cf. Ps. Plut. 846 E, visus est, nos Hermippo maiorem fidem habemus, qui τὸν Ἀρχίαν ἐν τοῖς Λακρίτου τοῦ ῥήτορος μαθητὴν ἀναγράφει. Plut. l. c.; quamquam etiam de Anaximenis disciplina cogitari licet.

crateae doctrinae auditor fuerit c. Ol. 105 sq.; ita autem ab Hermippo in libris de Isocratis discipulis teste Athenaeo X, 451 E, a Ps. Plut. p. 837 C, Suida s. v. appellatur, cf. Dion. p. 626. 722. Ab arte rhetorica factitanda ad tragoedias componendas se contulit, quibus rhetorica quaedam immiscuit; neque plane ut videbimus, eloquentiae studium neglexit, quin, ut erat vir ab omni parte eruditus, in utraque arte non mediocrem tenuit locum, quare in Mausoli funebri certamine cum Isocrateis Theopompo, Naucrate, Isocrate Apolloniata inito tragoediae praemium teste Suid. abstulit (cf. infra). Postea ab Isocrate nescimus qua de causa paululum abalienatus Aristotelis familiaritate ad vitae finem fere usus est, — Platonem iam antea audierat cf. Valer. Max. VIII, 14, 3. cf. Diog. L. V, 24; quae societas *παιδικοῦ ἔρωτος* speciem prae se tulit, nam ut animi et ingenii ita corporis pulchritudine excellebat, Steph. Byc. s. v. *Φάσηλις*, et perbene Welckerus similem consuetudinem Socratis et Alcibiadis hic adhibuit. Neque tamen ideo animum Isocratis ira affecit, quamvis dissidium inter Peripateticos et Isocrateos auxerit.

Inter scripta eius primum artem conscriptam colligere licet ex locis, quos Sauppius O. A. II, 247 sq. exhibuit; iure igitur Dionysius ep. ad Amm. I, 2 inter *παραγγελμάτων τεχνικῶν συγγραφεῖς* eum numeravit, in iud. de Is. 19 p. 626 acerbius vero iudicium de eo tulit, quasi longissime a praeceptoris praestantia relinqueretur. Artium libri tres, qui rhetoribus per multa secula usitatissimi fuerunt ab Aristotele — *τέχνης τῆς Θεοδέκτου συναγωγὴ ἐν γ΄* Vit. Aristol. script. ap. Westerm. biogr. p. 403 — editi vel retractati videntur, cf. Diog. V, 24. cf. Anaximenis vel Ps. Aristot. art. ad Alexandrum sub epistolae finem. — Ceterum cum Aristotele idem fere et sensisse et praecepisse videtur (Cic. or. 172), id quod Quintilianus II, 15, 20, cui artem, quam in manu habebat, tribueret, probe scivit. In universum politus scriptor atque artifex Isocratea dicendi placita et Aristotelica inter se coniunxisse mihi videtur, inprimis autem Isocratem superavit, quod in orationis partibus accurate distinguendis et illustrandis copiosius et clarius versatus est. Quod denique Suidae pravam lectionem *τέχνην ῥητορικὴν ἐν μέτρῳ* attinet, neque Maerckerus neque alius locum sanavit, quamvis probabilior videtur Bernhardyi sententia, artem rhetoricam in VII libris, quae filio Theodecti a Suida tribuitur, patris esse.[28])

---

[28]) Theodectis discipulos duos coniectura assequi licet, quorum alter filius ipse Theodectes, teste Suida, cum rhetorica arte studia historica con-

XXIV. **Isocrates, Apolloniata**, Amyclae philosophi filius, rhetor praeter Platonem etiam Isocratem Atheniensem audivit, cuius familiarissimus et successor in schola regenda factus est, quod Suidas s. v. et Anon. vit. Is. p. XI tradiderunt. Acrius in eum ut inquinatum et sordidum sophistam malum eloquentiae auctorem neque dignum, qui scholae praesit, scriptor ep. Socr. 30 p. 38 Orell. animadvertit.[29] Hic Isocrates, ut iam supra memoratum est, cum Theodecte, Theopompo, Naucrate laudationis funebris certamen in Mausoli exequiis a. 351 iniit. Errant cum Ruhnkenio p. 84, qui Isocratem Atheniensem, qui nunquam in publicum prodiit, anno LXXXV aetatis, in omnium gentium conventu de suggestu locutum esse credant; quod iam Gellius addubitavit X, 18. Neque controversiam Theopompus dirimit, — ut Ruhnkenius vult, — nisi forte credis, discipulum ap. Porphyr. in Euseb. Praep. Ev. X p. 464 C gloriari magistrum a se victum, quia prorsus orationes habere destiterit. At hoc quidem ineptum; mihi Isocrates maior laudationem scripsisse, discipulusque Apolloniata eam pro praeceptore dixisse, sed a Theopompo victus esse videtur.[30]

XXV. **Anaxagoras**, rhetor. Diog. L. II, 15: *γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι τρεῖς Ἀναξαγόραι, ᾧ ἐν οὐδενὶ πάντα· ἀλλ' ὁ μὲν ἦν ῥήτωρ Ἰσοκράτειος*, vera lectione ex ς. *Σωκράτειος* restituta. De vita et studiis illius nihil usquam constat, neque aliud quidquam hic adhiberi potest, quam quod Menagius ad Diog. l. c. huic librum *περὶ βασιλείας* ab Aeliano var. h. IV, 14 commemoratum, Bergkius Ana-

---

iuncta coluit, alter Sibyrtius, Theodectis patris lector et servus, qui inter ipsos servos primus artem sophisticam a domino Theodecte ei traditam professus est, artiumque libros et declamationes et epistolas conscripsit, Suid. s. v. cum Bernhard. annot. Eudocia p. 381.

[29]) *τὸν δὲ Ποντικὸν μαθητὴν* (nempe Heracleensem vel Apolloniatem, quod oppida in Ponto sint) *ἀπέδειξε τῆς αὐτοῦ σοφίας διάδοχον, οὗ σὺ πολλοὺς τεθεαμένος σοφιστὰς βδελυρώτερον οὐχ ἑώρακας.* Teste Suida, Isocrates Platonis quoque auditor fuit, quem quum reliquisset invidiam Academicorum et ipsius Speusippi — epistolae auctoris — sibi conflavit.

[30]) Iuvenili tum fuerit aetate ita, ut vir fere XLV annorum magisterium ab Isocrate acceperit: neque explorare possumus, quo usque scholam rexerit, quum de ea post illius mortem omnia testimonia veterum desint. Orationum tituli quinque in Suida exstant, neque illud, quod Harpocration s. v. *ἐπακτὸς ὅρκος* paraeneseis ad Demonicum Apolloniatae tribuit, in liquidum perduci quit, quamquam Benselerus in praef. ed. suae p. IV sqq., et de hiatu p. 37. docuit, rectius de Apolloniata cogitari. Cf. Annot. in ep. socr. 30. Orell. p. 272

xarcho cuidam tribuere volunt. Maiorem laudem apud veteres assecutus esse Anaxagoras non videtur, quod iam illud ᾧ ἐν οὐδενὶ πάντα indicat.

XXVI. Asclepiades, Tragilensis, Isocratis discipulus fertur ap. Ps. Plut. 837 C. et Phot. cod. 260 ὁ τὰ τραγῳδούμενα συγγράψας. Eum certo temporis spatio adscribere nequimus, quod idem neque in Anaxagora neque in iis, qui sequuntur, Cocco et Cratete fieri potest. Asclepiadis enim quamvis notissima fuerint illa tragodumena, tamen vitae conditiones oblivione obruebantur. Qualia cogitanda sint τὰ τραγῳδούμενα Wolfius iam ad Isocr. p. 758 recte intellexit, qui argumenta tragoediarum tragicis poetis subministrata sive historica sive fabulosa ea vocavit, ut astricta numeris tragoediae fiant cf. p. 778. Libros VI comprehendisse opus Steph. Byz. s. v. Τράγιλος tradit, et citantur a Plinio, Athenaeo, Harpocratione, Hesychio et scholl. multis, cf. Fabricium in bibl. Gr. ed. Harles. II p. 289 et Welckerum in Graeca tragoedia p. 94 all. ll. De Asclepiadis vita et scriptis docte et erudite Werferus in Actis Philol. Monacens. t. II. fasc. 4, quae memoriae prodita sunt collegit.

XXVII. Coccus; Suid. s. v. Κόκκος, ῥήτωρ, Ἀθηναῖος, μαθητὴς Ἰσοκράτους, λόγους ῥητορικούς sc. ἔγραψεν. Eius memoria propemodum exolevit, et Quintilianus notitiam Cocci magis turbat quam explicat XII, 10, 21 quum scribat: „quis erit hic Atticus? — non igitur iam usque ad Coccum et Andocidem remittemur?" Hic aut de oratore antiquiore, quam Isocrates et Lysias, aut de admodum obscuro et vili cogitandum est, cf. Ruhnken. p. 64. Mihi quidem Quintilianus temporum ratione falli videtur, quod in obliterata et fere intermortua scriptoris memoria facillime fieri potuit.

XXVIII. Crates, Trallianus, rhetor. A Diogene L. IV, 23 inter decem varios Cratetes δεύτερος ῥήτωρ Τραλλιανὸς Ἰσοκράτειος refertur, cui ignoto auctori Ruhnkenius p. 86 eos, qui λόγοι δημηγορικοὶ καὶ πρεσβευτικοὶ vocantur (Crateti Atheniensi philosopho ab Apollodoro (ap. Diog.) tribuuntur) tribuere studet.

Caput IV.

Tertia classis rerum gestarum scriptores vel historicos complectitur.

Neque in sola dicendi arte aut factitanda aut conscribenda aut aliis tradenda Isocrateis primas eloquentiae aequalium aetas tribuebat; fuerunt qui praecepta oratoria ad alias literarum provincias ad historias et tragoedias componendas transferentes summa laude digni viderentur. Fieri autem nequibat, quin historicus ex rhetorum umbraculis profectus saepius, oratorio ardore excitatus, modum excederet et ob nimium studium numeri oratorii magis sermonis flori et festivitati quam soli veritati indagandae indulgeret. Quare etiam in historicis Isocrateis alterum illud scribendi genus reperies, quod *γλαφυρὰ καὶ ἀνθηρὰ σύνθεσις* (Dion. de comp. verb. 23) vocatur; quam splendidam dictionem oculorum aciem fucato nitore magis praestringentem quam simplicem veri et probabilis speciem prae se ferentem, veteres critici iniquius fere censuerunt.

Sed iam repetamus ab iis, qui, praeter quam quod alia vitae et studiorum genera colebant, etiam historiarum monumentis componendis plus minusve temporis et operae tribuerunt. Et primum de Androtione, Atthidis scriptore, disserendum, quem eundem esse et Isocrateum oratorem et historicum contendo, auctoribus Jonsio, Meursio, Schaefero, qui de uno Androtione cogitaverunt contra Ruhnkenium p. 74 et Muellerum frg. hist. Gr. de vita p. 83 et Siebelim, qui in proi. Philoch. liquido affirmare illud non audet. Jonsii conjecturam vero Zosimi testimonium in vit. Is. p. XI postea comprobavit, qua legitur: *ἔσχε μαθητὰς* sc. Isocrates ... *Ἀνδροτίωνα τὸν τὴν Ἀτθίδα γράψαντα καθ' οὗ καὶ ὁ Δημοσθένης ἔγραψεν·* hoc potissimum teste fretus Schaeferus (Dem. I, p. 351) denuo sententiam defendit, quam novis argumentis confirmabimus. Muellerus opinatus est, Plutarchum de exil. II, p. 605 C exules historicos temporum ordine observato enumerasse, itaque Androtionem Timaeo iuniorem reddidisse, sed non vidit vir doctus, figura antitheseos adhibita Androtionem e scriptoris consilio post Timaeum esse positum. Plutarchus luce clarius eam differentiam illustratu-

rus fuit, peregrinum exulem Athenis, Atheniensem peregrinantem vixisse, quare vocabula et ipsos viros sic posuit: *Τίμαιος ὁ Ταυρομενίτης ἐν Ἀθήναις· Ἀνδροτίων Ἀθηναῖος ἐν Μεγάροις*. Quod deinde Suidas et Scholiastae Hermogenis de Androtionis Atthide silentium tenent, nullo est testimonio, quippe qui de opere eo eiusque auctore omnino non verba faciant, vel qui de notissimo auctore, qui fuerit, scribere non opus esse putaverint. Tenendum est, oratorem Athenis et historicum Megarae eundem esse. Urbe expulsus circa Ol. 108, Megaramque profectus ad studia rhetorica otium suum contulit, Atthidemque saltem XII librorum conscripsit. Neque quo tempore mortem obierit, confirmari quit. Etiam censuram generis scribendi cohibere debemus, quia fragmentorum exilitas, quominus aliud cognoscamus, impedit, quam quod multum operae in fabulis mythicisque rebus tractandis collocaverit.

Praeterea mentio fiat Cephisodori, qui teste Eustratio ad Aristot. Eth. Nic. III, 46 b *περὶ τοῦ ἱεροῦ πολέμου* libros nonnullos composuit, quorum duo decimus citatur. Denique Philisci Vita Lycurgi locum hic teneat (v. supra); et aliis quoque historicis studiis occupatum eum coniiciam, utpote cui Timaeus Cyzicenus rhetor et historicus discipulus fuit; quin etiam illud, quod Suidas errore Philisto Syracusio tribuit „*πρῶτος κατὰ ῥητορικὴν τέχνην ἱστορίαν ἔγραψε*“ Philiscum Isocrateum mihi indicat.

XXIX. **Dioscorides**, Isocrateus ab Athenaeo sub finem longioris loci ex illius Homericis institutis excerpti appellatur (I, 9 E: — *οὕτω δὲ τὰ ἔπη προηνέγκατο Διοσκουρίδης ὁ Ἰσοκράτους μαθητής* cf. Mueller. l. c. p. 192 sqq.). Num ei an alii cuidam cetera historica opera sint tribuenda, satis dubium est (cf. Jonsium I, 5, 57, qui XII Dioscorides recensuit). Nostri esse Memorabilia videntur, ex quibus Athen. XI, p. 507 D fragmentum servavit, quod in Platonis malevolentiam gloriaeque cupiditatem invehitur. Ad eundem retulerim Dinarchi orationem *πρὸς Διοσκουρίδην περὶ νεὼς* ap. Dion. V p. 663. cf. Saupp. O. A. II p. 337. De nominis varia scriptura vide Dindorf. in Steph. Thes. s. v.

XXX. **Theopompus, Chius, Damasistrati F., historicus.** Isocrateus auditor saepissime appellatur.[31]) Vacillabant autem sententiae, qui-

[31]) velut Ps. Plut. p. 837 C, Phot. cod. 176. 260. Zosim. p. XI. Suid. s. v. et s. v. Ephorus; una cum Ephoro Cumano ap. Ciceronem Brut. 56. cf. 44. de or. III, 9. 36, cf. II, 13, 23. Quint. II, 8, 11. Cf. Dion. ep. ad Pomp. 6, 1.

bus annis vita eius circumscribenda sit, nam certa auxilia deerant, quae Muellerus tandem attulit, quamvis causis infirmioribus rectam opinionem suam sustentet.[32]) Itaque quaestionem denuo instituturi id agimus, ut Photii calculos, qui ex optimis Alexandrinorum fontibus fluxerunt, teneamus, ut Suidae corruptam Theopompi notam emendemus.

Narrat Photius,[33]) Theopompum cum patre laconismi accusato in exilium abiisse et mortuo patre Alexandri beneficio in patriam restitutum esse, eumque tum XLV annorum fuisse. Rediit autem ut est verisimillimum — in patriam, quo tempore Alexander victor ex Aegypto et Syria redux Chios a Persarum jugo liberavit Ol. 112 = 332. Addas huic numero XLV illos annos, efficitur Ol. 100, 3 = 377 annus natalis Theopompi. Et congruit tempus paterni exilii cum nostro calculo.[34]) Cadit enim in annorum spatium, quibus Chii a diuturna Spartanorum societate deficientes alia vivendi et agendi consilia inire aliosque socios quaerere coepere. Et

---

all. ll. cf. Menandrum p. 262 Heeren. De Theopompo recentiore tempore Marxius in Ephori fragm. Pflugkius, Theissius in comment. de Theop.; Wichersius; Clintonus; Muellerus in frgm. hist. Graec. quaesiverunt, qui V. D. valde inter se dissentiunt.

[32]) Et ipse erravit (auctore Wichersio p. 8), qui p. LXVI ap. Ps. Plut. et Photium legisse sibi videtur, Theopompum in Chio insula ab Isocrate eruditum esse, quo tempore hic in insula illa scholam aperuerat, cuius narrationis ne litera quidem apud illos exstat; Muellerus praeterea Theocritum Isocrateum discipulum p. LXVII habuit, quos errores vitasset, si Isocratis scholam accuratius tractasset.

[33]) in cod. 176: *ἔστι δὲ Θεόπομπος Χῖος μὲν τὸ γένος υἱὸς Δαμοστράτου* (legas *Δαμασιστράτου*), *φυγεῖν δὲ λέγεται τῆς πατρίδος ἅμα τῷ πατρί, ἐπὶ λακωνισμῷ τοῦ πατρὸς ἁλόντος· ἀνασωθῆναι δὲ τῇ πατρίδι τελευτήσαντος αὐτῷ τοῦ πατρός, τὴν δὲ κάθοδον Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνων βασιλέως δι' ἐπιστολῶν τῶν πρὸς τοὺς Χίους καταπραξαμένου ἐτῶν δὲ εἶναι τοτε τὸν Θεόπομπον ε' καὶ μ'.*

[34]) Minus apte Muellerus de iis temporibus cogitavit, quibus Thebani Epaminonda duce ad imperium maris capessendum cum navibus profecti Chios et Rhodios ad defectionem moverunt. (Ol. 104, 1 sq.). Nec tamen, si tum urbem reliquisset, Damasistratus per omne vitae tempus patriam vitasset, quippe quum imperio Thebanorum paullo post deperdito reditus in patriam ei patuisset. Praeterea calculi mendum Muellerus commisit, qui statuit, Theopompum Ol. 104, 4 patre expulso aetatem XX annorum habuisse et nihil impedire, quin antea ibi sc. in insula Isocratis praeceptis imbutus sit. Nam tum juvenis ille fuit XVI annorum, expeditioque Thebanorum cadit in Ol. 104, 1 sq. Isocrates vero Ol. 96 in insula illa docuit, ut in cap. I. hui. lib. demonstratum est.

hic in mentem mihi venit Atheniensium recentior symmachia, quam Ol. 100, 4 archonte Callia Timothei opera cum pristinis sociis renovabant. Diod. XV, 28, narrat socios maritimos a Lacedaemoniis, qui *ὑπεροπτικῶς καὶ βαρέως ἦρχον τῶν ὑποτεταγμένων*, defecisse et transiisse ad Athenienses, *πρῶτοι δὲ* ait *πρὸς τὴν ἀπόστασιν ὑπήκουσαν Χῖοι καὶ Βυζάντιοι* (cf. cap. I). Tunc temporis pater Theopompi Lacedaemoniorum studio populo perosus patriam fugit, tum filium primo fere aetatis anno secum duxit, cui XLV demum post annos patria reddita est. Quare ex Photii loco unicuique veterum tempus exilii iam ex illo *ἐπὶ λακωνισμῷ* intelligebatur.[35])

Ex Suidae nota: *Θεόπομπος — γεγονὼς τοῖς χρόνοις κατὰ τὴν ἀναρχίαν Ἀθηναίων ἐπὶ τῆς ἐνενηκοστῆς τρίτης Ὀλυμπιάδος* (i. e. ϞΓ′) *ὅτε καὶ Ἔφορος*, prorsus aliena temporum ratio proficisci videtur. At plurimae res locum corruptum ostendunt. Primum Marxius l. l. vituperavit, anarchiam in Ol. 93 referri, quae (Diod. XIV, 3. Xenoph. hell. p. 461 A) ad Ol. 94, 1 adscribi solet. Tum apparet, vetustiorem Theopompum et Ephorum a Suida reddi, qui Diod. IV, 1 aequales nominantur multo recentioris Callisthenis. Repugnat Photii et eorum quos exscripsit iudicium; et ipse Suidas inepte dicere videtur, qui s. v. *Ἔφορος* (v. *Ἔφιππος*) scribit: *ἦν δὲ ἐπὶ τῆς ἐνενηκοστῆς τρίτης Ολ., ὡς καὶ πρὸ τῆς Φιλίππου βασιλείας εἶναι τοῦ Μακεδόνος*, quum talpa caecior esse debeat, qui hoc non iam per se intellexerit. Inde autem mendi medela sumenda est. Perdocte Muellerus p. LVIII vidit, anarchiam istam non Atheniensium sed Macedonum esse, quae in calamitosum temporis spatium inter Alexandri II. obitum a. 369 et Perdiccae III. aditum regni 364 interiectum cadit; Suidam autem nescientem ex fontibus hausisse in quibus rerum hominumque tempora referebantur ad seriem regum Macedonicorum. Sic certe Ephorus si vixit temporibus illius anarchiae etiam ante Philippi regnum a. 359 acceptum vixisse dici poterat. Error Suidae ita exortus est, ut ex fontibus suis recte excerpserit Olymp. CIII i. e. *ΡΓ′* et in Theopompi nota *γεγονὼς τοῖς χρόνοις κατὰ τὴν ἀναρχίαν ἐπὶ τῆς ΡΓ′ Ολ.* scripserit; quam rectam et genuinam lectionem Eudocia adhuc tradit: Suidae vero

---

[35]) Neque illud offendit — quod Muellerus monuit — parum *ἀπὸ τοῦ πιθανοῦ* se commendare Lacedaemoniorum studiosum patrem cum filio Athenas se contulisse. Athenas minime confugit, sed teste Suida s. v. *Ἔφορος*: *ἱκέτης ἐγένετο τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος*, indeque Asiae oras peragravit, et XVIII annis post filium Athenas missum Isocrateae clarissimae institutioni tradidit.

librarii anarchiam notiorem Atheniensium intelligentes, ad marginem Ἀθηναίων adscripserunt tumque, ut sensus salvus reddatur, *PI'* in *ϧΓ'* commentaverunt.[36]) Teneamus igitur, Theopompum natum esse Ol. 100, 3 = 378, cum patre a. 377 Ephesum fugisse et denique Athenas profectum, una cum Ephoro Cumano, Theodecte Phaselita et Naucrate Erythraeo, aequalibus suis (cf. Phot. c. 176), scholae Isocrateae interfuisse, quam eruditionem ad Ol. 106 vel paullo prius retulerim. Ephorus tum iterum scholam frequentavit, nam una cum Theopompo *ἐν ἁμίλλαις λόγων* victor renunciatus corona a magistro coronatus fertur (a Menandro rhet. *διαίρεσις τ. ἐπιδεικτ.* p. 262 Heeren); progressus autem altero demum cursu oratorio fecit (Ps. Plut. 838 F. Zosim. p. IX). Quod autem apud Phot. l. c. etiam Isocrati Atheniensi *συνακμάσαι* fertur, id nullam haesitationem habet, quamvis quinquaginta septem anni inter eos intercedant. Magister enim, qui centum paene annos vidit, usque ad vitae finem animi et corporis viribus viguit, scholaeque fama Ol. 107 vel maxime concelebrata est, quum flos oratorum ex Isocrateis umbraculis profectus a. 351 in Mausoli tumulo concertaret, ubi ipse Theopompus laudationis funebris praemium abstulit (de superbiloquentia eius cf. cap. I et n. XXIV Isocr.). Ceterum etiam Demosthenis et Aesionis studiorum socius appellatur cf. s. v. Aesion. pag. 34 hui. lib.

Quam diversa Theopompi et Ephori ingenia fuerint et quibus variis artibus Isocrates in utriusque indole varia excolenda usus sit, scriptores saepius laudarunt; cf. not. 31. Constat Theopompum, ut erat iuvenis eximia indole, brevi tempore plurimum in arte rhetorica profecisse, ita ut *ἐπιφανέστατος πάντων Ἰσοκράτους μαθητῶν* postea evaderet (Dion. ep. ad Pomp. VI, 131). Vitae decursum dilucide victoria praeclara in Mausoli funebribus ludis inchoavit, et omnigena doctrina instructus ab ipsoque magistro ad historias componendas adductus una cum Ephoro historiae studio novum et inauditum fere impulsum dedit, quum, artes rhetoricas ad narrationem

---

[36]) Nec te offendat illud *γεγονώς*, quod minime „natus est“ significat sed „vixit“. Apud Suidam enim — quod Spengelius l. c. p. 105 non debuit addubitare — perfecti temporis formae *γέγονε, γεγονώς* rarissime (cf. v. Θαλῆς) nascendi vim praebent, sed *γεγονέναι βιοῦν, βιῶναι* vel vivere significat (cf. s. v. Dexippus, qui sub quattuor imperatoribus *γεγονέναι* dicitur, ubi interpretatio „natum esse“ meram vesaniam auctoris ostenderet.) Pro „nasci“ legitur *γεννηθῆναι, γενέσθαι* (cf. s. v. Ἰσοκρ. all. m.) *τίκτεσθαι* (cf. Sophocles). Neque illud *ἦν* (s. v. Eph.) aliud est quam „vixit“ saepius etiam „floruit.“

historicam adhibens, criticamque methodum cum mera narrandi simplicitate coniungens, alteram quasi rhetoricae historiae speciem effingeret, quam *γλαφυρὰν καὶ ἀνθηρὰν σύνθεσιν* Dion. de comp. verb. c. 23 appellavit.[37]) — Quadraginta quinque annos natus per literas ad Alexandrum in patriam revocatus Theocritum sophistam, Metrodori Isocratei discipulum, adversarium (cf. Suid. s. v. Strabo XIV, p. 955 B) nactus est, qui tum consilio suo rempublicam administrabat; eum epistolis suasoriis (Athen. VI, 230 F), ut molliter et luxuriose viventem et tanquam proletarium et Macedonibus invidentem, Alexandro M. detulit; quare populo Chiorum perodiosus post Alexandri mortem statim ex urbe depulsus in Aegyptum fugit, ubi mortuus esse videtur Ol. 118, 4 = 305. Restat ut doceamus, quaenam Theopompus hereditario tanquam iure a magistro acceperit.

Scripsit primum „quum ad historias componendas se accingeret periculi faciendi causa“ *ἐπιτομὴν τῶν Ἡροδότου ἱστοριῶν* (Suid.) tum *ἑλληνικὰς ἱστορίας* (Diod. 13, 42. 14, 54) argumentis a magistro ei propositis (Phot. l. c.) deinde *Φιλιππικὰ* vel *Ἱστορίαι* vocata. Quumque ex fragmentis quae exstant ab omni numero iustum iudicium ferri nequeat, veterum testimoniis insistentes, historicum censebimus et, quae de sua arte, quae de magistri praeceptis in opera conscribenda contulerit, docebimus.

Et primum constat inter omnes Theopompum a veteribus saepius vituperari, quam laudari ob ingenii acerbitatem.[38]) Is acer-

---

[37]) Nec tamen vitium, in quod epideictici auctores incidere solent, effugit, nimium illud sui studium, insolentiam et superbiloquentiam prae se ferens. Quare suam gloriam affectabat initio Philippicorum (frgm. 26); se primas sibi iure vindicare, qui tot myriadas versuum conscripserit; nullam esse Graecae civitatem alicuius pretii, quo non ipse pervenerit et scholis habitis summam gloriam virtutisque suae monumentum condiderit.

[38]) Sic a Nep. (Alcib. 11) „maledicentissimus“, ab Athenaeo VI, 254 b „*δυσμενέστατος*“, a Suida s. v. *Ἔφορ.* „*πικρὸς καὶ κακοήθης*“ appellatur. Polybius „*πικρίαν*“ eius et *ἀθυρογλωσσίαν*“ castigavit, VIII, 12; quorum et aliorum iudiciorum causas Wichersius p. 49 recte perspexit, Theopompum scelera et vanitates hominum facete illusisse, vitia et flagitia privatorum hominum et magistratuum et principum acriter notasse, tanquam supremum iudicem abdita scelera eorum consilia foedissima in lucem edidisse. Hoc illud est *βλασφημεῖν* et *ῥυπαίνειν* et *λοιδορεῖν* (Josephi in Apion. I, 24 cf. Clem. Alex. I, p. 316.); et quamquam in hominum nequitiis et ingeniorum perversitate illustrandis modum saepius excesserit, tamen primarias historiae leges (Cic. de or. II,

bus et maledicus historici mos minime Isocratis tranquilli et quieti institutione auctus sed correctus admodum est, quin, frena quasi magister in aestuante et fervido animi impetu coercendo se adhibere dixit (locos vide sub Eph.).[39]) Neque, quod alterum est, totam oeconomiam sive dispositionem et argumentationem ad Isocratea praecepta conformavit.[40]) Sed tertium tantum Isocrateum ostendit Theopompum, oratoria elocutio.[41]) Atque huc spectat Quintiliani X, 1, 74 iudicium, cui „Theopompus his (Thucydidi et Herodoto) proximus, ut in historia praedictis minor, ita oratori magis similis, ut qui, antequam est ad hoc opus sollicitatus, diu fuerit orator." Cf. Cic. Brut. 17. Suid. s. v. *Ἔφορος*. Ita dictionem suam ad Isocrateum instar conformans (cf. Phot. cod. 176), tamen illius praestantiam consequi minime potuit (Dion. de Isaeo p. 626); et quamvis in universum in *ἀκριβείᾳ* illa Isocratea *κατὰ τὴν ἐργασίαν* praeceptore inferior sit (Phot. l. c.) tamen magnam copiam florum et festivitatum elegantioris dictionis apud eum invenies.[42])

15, 62) „ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat!" iam antiquitus observasse putabatur, quare Athen. III, p. 85 *ἀνὴρ φιλαληθής* est (cf. Suid. l. c.).

[39]) Quam differentiam ingenii Dionysius docte sic exposuit (ep. ad Pomp. p. 132) *διαλλάττει δὲ τῆς Ἰσοκρατείου* sc. *χαρακτῆρος κατὰ τὴν πικρότητα καὶ τὸν τόνον ἐπ ἐνίων, ὅταν ἐπιτρέψῃ τοῖς πάθεσιν, μάλιστα ὅταν ὀνειδίζῃ πόλεσιν ἢ στρατηγοῖς πονηρὰ βουλεύματα καὶ πράξεις ἀδίκους.*

[40]) (De fabulis et excursibus historiae admixtis vide l. c. et Creuzeri „histor. Kunst d. Griechen" s. Theop.)

[41]) Quam Dionysius idem (l. c.) praeclare sic percensuit: *Ὁ δὲ λεκτικὸς (χαρακτὴρ) Ἰσοκράτει μάλιστα ἔοικε· καθαρὰ γὰρ ἡ λέξις καὶ κοινὴ καὶ σαφής, ὑψηλή τε καὶ μεγαλοπρεπὴς καὶ τὸ πομπικὸν ἔχουσα πολύ, συγκειμένη τε κατὰ τὴν μέσην ἁρμονίαν, ἡδέως καὶ μαλακῶς ῥέουσα* (cf. de comp. verb. 23).

[42]) Sic primum augmentandi et minuendi studium, quam *αὔξησιν* et *μείωσιν* Graeci vocant, in Theopompo Demetrius *περὶ ἑρμην.* § 75 exposuit et vim dicendi exemplo § 240 declaravit. Longinus autem de subl. c. 43 permutationem illam subitaneam affectionum, decursum repentinum ex sublimioribus ad humiliora verba Theopompo vitio dedit.

Alterius artis Dionysius mentionem fecit l. c. *τῆς συμπλοκῆς τῶν φωνηέντων γραμμάτων*. Atque eam quidem Isocratis primarium praeceptum discipulus quoque observasse videtur. Quod si deinde speciem *τῆς κυκλικῆς εὐρυθμίας τῶν περιόδων* Dionysius in Theopompo invenit, idem etiam in Isocratis iudicio legitur: *περιόδῳ τε καὶ κύκλῳ περιλαμβάνειν τὰ νοήματα πειρᾶται ῥυθμοειδεῖ πάνυ καὶ οὐ πολὺ ἀπέχοντι τοῦ ποιητικοῦ μέτρου* V. 538 sq. cf. 540 sqq. Postremo Dionysius *ὁμοειδείαν τῶν σχηματισμῶν* in Theopompo qualem etiam in Isocrate laudat; Demetrius. § 27, 247 testis est idoneus, Theopompum Isocratis *ὁμοιοτέλευτα* et *ἀντίθετα* et *παρόμοια* imitatum

XXXI. Ephorus, Cumanus, Demophili F. historicus; Isocrateus una cum Theopompo saepissime a veteribus appellatur (cf. locos in fronte recensionis Theopompi adscriptos). Aetatis calculos in antecedente articulo ad liquidum perductos hic iterum instituere supersedemus. Vixit Ephorus teste Suida Ol. 103 et si Theopompo aequali paucos annos maior natu putandus est, quippe qui iterato cursu eius studiorum socius fuerit, natus erit sub initium Ol. 99, quo Aristoteles. Scholae Isocratis non in Chio insula, quod Mueller. false dixit p. LVIII sed Athenis operam dedit. „Reluctante natura“ Ephorus primum quidem ἄπρακτος domum revertit (Ps. Plut. p. 839 A), quare pater eum ἐπὶ δευτέρῳ μισθῷ Athenas misit, quem Isocrates Δίφορον (cf. Hesych. v. Δίφορος) iocose vocavit, et sexcenties fabula narratur, quae ex Hermippo fluxisse videtur, magistrum in Theopompi verborum audacia et corporis actione exultantis et tumultuantis acerrimo ingenio frenos, in lenissimo animo Ephori cunctantis et quasi verecundantis calcaria adhibuisse.[43]) Neque iterum studiis operam tribuens prospero successu caruit, nam corona ornatum a magistro in certaminibus menstruis eum Menander (loco supra citato) tradidit. Quumque ad rhetoricam artem factitandam minus aptus videretur, iniecta manu eum magister a foro subduxit (sc. a suggestu, ex quo discipuli declamare solebant), utiliorem componendis monumentis historiarum ratus.[44]) Suadente Magistro, qui pro animo tranquillo et contemplationi dedito vetustiorem Graeciae historiam enarrandam ei proposuit, ad artem historiae scribendae totum se contulit (Cic. l. c. Phot. cod. 176). Scripta eius Marxius et Muellerus in fragmentorum collectionibus et Creuzerus in art. hist. Graec. recensuerunt, neque aliud quidquam nobis superest, quam ut doceamus, quaenam elocutionis praecepta Isocratea observanda sibi proposuerit. In tota historiarum dispositione inque argumentorum inventione suo Marte enisus videtur; in elocutione Isocrateus genuina virtute apparet. Sed ut Theopompi ita etiam Ephori sermo iudicia sibi contraria veterum criticorum vidit.

---

esse. Quin etiam in vocabulorum fabrica multum eius ars valuerit, quod Wichersius p. 42 exemplis confirmavit.

[43]) Quint. II, 8, 11 cf. X, 1, 74 Cic. de or. II, 9, 36 Brut. 56. Senecae de tranq. anim. c. 6. Zosim. p. XI qui narratiunculam suavem pluribus verbis illustravit; Suid. s. v. Ἔφ.

[44]) Senec. l. c. quod idem Quintil. X, 1, 74 minus probabile de Theopompo tradidit; cf. Cic. de or. II, 13.

Laudes quidem eius summas tulit Polybius XII, 38 excerpt. Vat., vituperii pleni sunt Hermogenes III p. 400 et Duris Samius in Phot. bibl. cod. 176; iudicium suum plane Philostratus I, 17. 4 cohibuit.

Integrius Dionysii (de comp. v. 26) iudicium (cf. Cic. or. 51, 62) exstat, et nos in universum Muelleri verbis assentimur, quae apponamus: „Oratio Ephori, ex illa Isocratis magistri tanquam imperfecta imago expressa pura erat, vel in minimis diligenter elaborata, dilucida, ornata, numerosa; simul vero dicitur diffusa, robore et nervis destituta, resupina, languescens ieiunitate.“ [45])

[45]) Ad patris exemplum filius Demophilus se conformaverit, qui historiarum extremam partem „bellum sacrum“ quod vocatur a patre derelictum teste Diodoro XVI, 14 concinnavit. Quod vero Diodorus XVI, 76 idem bellum ab Ephoro compositum narrat, hanc differentiam, spreta Marxii minus probabili coniectura, sic dissolvam, ut Ephorus materias belli conscribendi collatas filio pertexendas reliquerit; quare duo auctores librorum extremorum habendi sunt, quos in uno Ephoro Diodorus comprehendisse videtur, accuratius autem Athenaeus VI. p. 232 D: *Ἔφορος ἢ Δημόφιλος ἐν τῇ τριακοντῇ*, eos perhibuit. Nec magis probabiliter, quamquam Muellerus plane assentitur Marxio I, p. LXI not., vir doctus suspicatur, nostrum Demophilum eundem esse, qui teste Phavorino ap. Diog. V, 5 et Athen. XV, p. 696 A (addas Ael. var. hist. III, 36) Aristotelem *ἀσεβείας* accusaverit. Ineptum enim hoc commentum Marxii est, neque de inimicitiis, quae Aristoteli cum Isocratis sectatoribus intercedebant, commode hic cogitatur. Nam si antiquitatum reliquias viri docti perscrutati essent, invenissent, Demophilum istum non peregrinum sed popularem Atheniensem esse, qui Ol. 108, 3 legem tulerit, qua recensio civium per tribus fieri debebat, cf. Aesch. I, § 86 cum schol. § 77 Harpocrat. s. v. *διαψήφισις*; idem inter accusatores Phocionis Ol. 115, 3 appellatur, neque diversus videtur Schaefero Dem. II p. 289 a Demophilo Acharnensi, cuius psephisma Ol. 114, 2 uno anno post Aristotelem accusatum, in Boeckhii Seeurkunden XVI C, 176 commemoratur.

Diylli Atheniensis, qui Ephorum continuavit teste Diodoro XVI, 76 cf. XVI, 14, XXI 5, aetatem et scripta accuratius Muellerus II, 360 sq. recensuit; quod autem ad auctoritatem et famam scriptoris attinet, qui Ephori genus scribendi imitatus est una cum Psaone Plataeensi, a Plutarcho de Herod. mal. c. 26 laudatur *ἀνὴρ Ἀθηναῖος οὐ τῶν παρημελημένων ἐν ἱστορίᾳ Δίυλλος*. Apud Plinium — recte hoc monuit Muellerus — Diyllus historicus inter auctores recensetur, ex quibus liber VII hist. nat. consarcinatus est.

Diylli historias Psaon Plataeensis continuavit, teste Diod. XXI, 5: *Ψάων δὲ ὁ Πλαταιεὺς τὰς ἀπὸ τούτου (Διύλλου) διαδεξάμενος πράξεις ἔγραψε βιβλία λ'.* Hunc Isocrateum dicendi genus imitatum esse, Dionysius in iud. de Din. c. VIII, p. 646 his verbis confirmat: *οἱ δ' Ἰσοκράτην καὶ τὰ Ἰσοκράτους ἀποτυπώσασθαι θελήσαντες, ὕπτιοι καὶ ψυχροὶ καὶ ἀσύστροφοι καὶ ἀναλθεῖς· οὗτοι δ' εἰσὶν οἱ περὶ Τίμαιον καὶ Ψάωνα καὶ Σωσιγένην.* Cf. nos s. Philisco.

Alterum illud genus historiae componendae, in quo Isocratei primi versabantur, quam diversum fuerit ab antiqua simplicitate et venustate Herodoti Thucydidis Xenophontis, iam Car. Muellerus in prooem. fragm. hist. gr. p. LXIV paucis descripsit. Neque nos, quae sentimus, silentio praetereamus. Puram et candidam scribendi rationem vetustiorum historici recentiores, ex Isocratis umbraculis profecti, dictionis ornamentis, artificiis, luminibus fulgere voluerunt; itaque apud illos siccitas quaedam et sanitas et integra quasi sermonis valetudo, apud hos nitida et opima sed admodum ieiuna oratio reperitur. Isocrates quidem, teste Cicerone de or. III, 41, 173 primus inconditam antiquorum dicendi consuetudinem numeris astrinxit; quumque antea venustatis gracilitates — Lysiam dico — ex ipsa orationis natura peterentur, is primus eius artificia, quae sophistarum nimio abusu male tum audiebant, ad certum modum reduxit. Neque discipuli eam praestantiam, quam magister habuit, assecuti sunt, qui figuris et festivitatibus modice a magistro adhibitis, immoderate uti solebant. Quare pro ossibus et nervis carnem solam, pro viribus orationis sanguinem inanem, pro colore genuino fucatum nitorem, pro munditia dictionis candorem splendidum pro pectine calamistros quasi in oratione comenda adhibebat. Desideratur integra valetudo, sanguis incorruptus ille in quo naturalis nitor inest; ornate et copiose belleque et festive scripturi isti verba bene sonare suaviterque ad aures accidere voluerunt, sic autem lenocinati auriumque voluptati servientes et verborum et sententiarum lepores, argutias, delicias vel potius ineptias captantes, omnia nimis exaggerata et admodum frigida reddiderunt. Delectabat id genus dicendi, sed cum celeri satietate, quam prorsus effugere debebat; eamque ob satietatem fastidio quodam affecti ii, qui scripta legebant, ab auctoribus abalienabantur. Inde factum est, ut memoria eorum obscurata paullatim prorsus evanesceret.

Caput V.

Quarta classis poetarum

eos potissimum Isocrateos continet, qui oratoriis praeceptis imbuti se ad tragicam artem factitandam contulerunt. Neque studia plane aliena ab institutione illa tractabant, quum tragoediae et eloquentiae multa essent communia. Hi, quamvis numero pauci fuerint — tres nobis innotuerunt — tamen plurimum ad antiquiorem tragoediae speciem commutandam profecerunt; tum enim primum oratoria ornamenta et insignia in poeseos elocutionem infusa sunt, tum avide dicendi lumina ac flosculos captantes poetae oratorio quodam artificio argumenta disceptantes, elegantiae magis quam veritatis studiosi, fines et modum granditatis et dignitatis transiere, saepiusque in flectendis permovendisque animis minus, quam in delectandis versati sunt. Itaque quamvis aequalibus suis placuerint, seculorum iudicium sustinere non potuere, et tragoediarum fere omnium et poetarum memoriam oblivio obruit.

Hic primus Theodectes poeta nominandus, cuius oratoris iam supra (n. XXIII) mentio fiebat. Is praeterquam quod rhetoricam tractabat etiam in tragica arte multum studii et operae collocavit; cf. Suid. s. v. et *Ἰσοκρ.* *Ἀμύκλα*. Steph. Bycant. l. supra c. Ps. Plut. p. 837 C. Phot. cod. 260. Scripta eius Suidas conturbavit; scripsit enim teste Stephano s. v. *Φασηλίς: τραγῳδίας ν´ καὶ ῥητορικὰς τέχνας καὶ λόγους ῥητορικοὺς ἐπῶν*, ubi numerus versuum excidit, Suidas vero ad artem rhetoricam „*ἐν μέτρῳ*" adiunxit, quod ad artium libros referri nequit. Quumque sequantur verba *καὶ ἄλλα τινὰ καταλογάδην* apparet, opponi sibi pedestrem orationem et numeris adstrictam; desiderantur praeterea *λόγοι ῥητορικοὶ* in Suida, quos in oratore praetermittere nullo modo debuit, quare recte Bernhardyus opinatus est locum aliquo verborum defectu laborare, quem sic restituerim, ut scribatur: *τέχνην ῥητορικὴν καὶ λόγους ῥητορικοὺς πολλά τε ἐν μέτρῳ καὶ ἄλλα τινὰ καταλογάδην*. De tragoedia „Mausolus" inscripta plura verba facere non opus est, postquam ipse poeta eiusque scripta aequum et idoneum iudicem Welckerum (die griech. Trag. p. 1070 sqq.) nactus est.

XXXII. Astydamas, Atheniensis, tragicus poeta. Duo viri eius nominis quorum memoria alibi saepius conturbatur, recte a Suida

distinguuntur. Astydamas maior natu Morsimi f. Aeschyli abnepos (cf. Suid. s. v. *Φιλοκλῆς*), Welckeri probabili coniectura p. 1053 *ρμ'* tragoediarum scriptor, *ιε'* certaminum victor renunciatus summa laude dignus videbatur, cuius insolentia Athenienses (Suid. s. v. *σαυτὸν ἐπαινεῖς*) permoti ab incepto honorifico statuae in theatro ponendae desistebant. Hic *ἀκροασάμενος δ' ἦν Ἰσοκράτους καὶ ἐτράπη ἐπὶ τραγῳδίαν* teste Suida s. v. At ex versu 80 in Marmore Pario ex Diod. XIV, 43 ingeniose restituto intelligitur, eum Ol. 95, 2 = 398 iam primas fabulas docuisse, quo tempore schola Athenis nondum aperta erat. Neque verisimile est, eum inter studia fabularum docendarum quotidiano Isocratis usu fructum esse, potius disciplina eius oratoria ante aditum ad tragicam artem ponenda est iis annis, quos recte Koepkius (Zeitschr. f. Alt. W. 1840 p. 477 sqq.) in illo temporis spatio collocavit, quo Isocrates XL annos natus Athenis magistrum se confessus est. Jam vides notam Suidae ad maiorem Astydamantem iniuria referri, sed pertinere ad minorem insequentem, id quod Bernhardy ipse voluit. Neque librarii per errorem falso loco verba illa in textum irrepserunt, sed Suidae ipsi memoriae iste error vitio dandus est.

Astydamas minor natu, quem Isocrateum hic recensemus teste Marmore vs. 83, Ol. 101, 4 = 373 Athenis vicit archonte Astio. De prima victoria cogitandum est e more marmoris, quod illud *πρῶτον* modo adiunxit (cf. vs. 61: *πρῶτον — διδάξας — ἐνίκησεν*, vel. vs. 70: *ἐνίκησε διδάσκων*; vel. *τραγῳδίᾳ πρῶτον ἐνίκησε* vss. 65. 75.), modo plane omisit (*ἐνίκησε* vss. 72. 79. 83. 85.); itaque ipsa Ol. 101 scholae Isocrateae una cum Aphareo tragico Isocratis privigno interfuerit (cf. sub numero 33). Neque patris Astydamantis gloriam et praestantiam ab omni parte adaequavit, sed, ut plurimi Isocratei, mediocri quadam fama usus haud multo post e memoria dilapsus est. De tragoediis Astydamantis utriusque et de vi oratoria sive tragica Koepkius l. c. nonnulla annotavit.

XXXIII. Aphareus, Atheniensis, tragicus poeta et rhetor; Isocratis privignus et adoptivus filius ex Plathane natus, quam viduam ignoti mariti et matrem trium puerorum Isocrates senex admodum in matrimonium duxit (Plut. 838 a.)[46]. Priusquam Plathanen

[46]) Plathanen non uxorem Hippiae rhetoris sed filiam fuisse, contra Harpocrationem (s. v. *Ἀφαρεύς*), Suidam s. v., Pfundtium et Westermannum l. c. Sauppius p. 405 sq. recte vidit. Idem illud iam Ps. Plut. p. 848 A: *Ἀφ.*

uxorem duxit, Isocrates rem cum meretricibus habuisse a comicis perstringitur. Quibus autem temporibus unaquaque femina usus fuerit, sic coniicere licet: Aphareum ex Ps. Plut. 839 C. D scimus fabulas docuisse ab Ol. 102, 4—109, 3 (369—341) (ad quem calculum Suidae error Olympiadis XCV = ϟε′ in Ol. CV = ρε′ emendandus est, cf. paulo infra). Antequam autem certamen tragoediarum iniit, institutioni oratoriae patre duce interfuisse putandus est, utpote qui et ipse orationes nonnullas composuerit (teste Plut. 838 C et Suida, qui rhetorem eum appellat), et qui patrem in ius ob trierarchiam vocatum oratione contra Megaclidem defenderit. Matrimonium igitur Plathanae circa Ol. 100 inceperit, Isocrate fere LX annorum sene. Ante hos aliquot annos Lagisca meretrice usus fuit, teste Hermippo in libro de Isocrate scripto (ap. Athen. XIII, 592 D: *προβαίνοντά φησι τῇ ἡλικίᾳ τὸν Ἰσοκράτην ἀναλαβεῖν Λαγίσκαν τὴν ἑταίραν εἰς τὴν οἰκίαν.* L annorum virum autem dixeris — opinor — aetate provectiorem. Hic congruit Clintonus in fast. hell. qui Strattidis comici cavillationes (Zosim. p. X, Athen. l. c. Harpocr. v. Lagisca) non ante Ol. 99 scriptas esse censet (cf. ad ann. 394). Quare sub idem tempus (Ol. 99) amicam istam in connubium receperit, ex qua filiolam habebat, quam XII annos natam morte ereptam doluit (Plut. 839 B. Athen. l. c.). Lagiscam aut morte amisit, quod crediderim, aut a se dimisit, Pathanenque, ut liberos procrearet, duxit. Prolis autem spe deiectus filium privignum natu minimum per adoptionem suum fecit. Aphareus et orator tolerabilis et poeta non plane obscurus fuit. Patrem contra Megaclidis permutationem oblatam defendens superior iudicio excessit (Dion. V, p. 667. cf. 576. Plut. 839 C). Alteram trierarchiam Ol. 106 pro patre rite et sumptibus maximis (Isocr. XV, 5) administravit, cuius muneris Demosthenes in or. (47) contra Euergum et Mnesib. § 31 p. 1148 mentionem fecit, quae oratio post annum 356 habita est.

Quando floruerit poeta, Ps. Plutarchus p. 839 D certis finibus sic descripsit, postquam eius orationes forenses et suasorias paucas

---

ἐκ *Πλαθάνης τῆς Ἱππίου τοῦ ῥήτορος* (sc. *θυγατρός*) et p. 839 B Isocrates *Πλαθάνην τὴν Ἱππίου τοῦ ῥήτορος γυναῖκα ἠγάγετο*, ubi e graeci sermonis consuetudine *γυναῖκα* illud ad *ἠγάγετο* non ad *ῥήτορος* adjugendum est, ut idem sit ac „uxorem duxit". Ex simili fontium genere praeter Plutarchum etiam Zosimus vitam Isocratis hausit, qui p. VIII Dind. rem copiosius exposuit, *γυναῖκα δ' ἠγάγετο Πλαθάνην τινά, Ἱππίου τοῦ ῥήτορος ἀπογεννωμένην.*

et tragoedias fere XXXVII commemoravit: *ἀρξάμενος δὲ ἀπὸ Λυσιστράτου* (369) *διδάσκειν ἄχρι Σωσιγένους* (342) *ἐν ἔτεσιν εἰκοσιοκτὼ* (*κη'*) *διδασκαλίας ἀστικὰς καθῆκεν ἓξ καὶ δὶς ἐνίκησε διὰ Διονυσίου καθεὶς καὶ δι' ἑτέρων ἑτέρας δύο Ληναικάς*, reliquas tragoedias *ἐν ἀγροῖς* sc. Lenais et Anthesteriis docendas curavit. Suidae librarii vel ipse auctor scribunt *ἀκμάσας κατὰ τὴν ἐνενηκοστὴν πέμπτην* (*ϟε'*) *Ὀλυμπιάδα, ὅτε καὶ Πλάτων ὁ φιλόσοφος*. Idem sub his verbis error latet quem supra in Theopompo et Ephoro correximus, quare scribendum *κατὰ τὴν ρε'* vel *ἑκατοστὴν πέμπτην Ὀλ.* Argumento clarissimo est, additum illud „*ὅτε καὶ Πλάτων ὁ φ.*"; quomodo enim Plato anno 429 natus, qui ad Socratis mortem 399 duce eo studiis deditus erat, neque gloriam summam assecutus est, sed ne viam primam quidem tum gloriae incesserat, quomodo Plato tum floruisse dici potest? Cogitandum hic de Ol. 105 et quum Plato mortem Ol. 108, 2 obierit aptissime XIII annos ante mortem floruit.

Aphareus patre Isocrate et studiorum et officiorum consuetudine quam arctissime coniunctus fuit, atque eosdem cum illo habuit adversarios eosdem amicos, ut Lysithidem et Calippum (Dem. p. 1240 or. 52 § 14). Filio mortuo c. annum 340 avus omnem amorem in nepotes suos Apharei liberos contulit, quorum memoria sub initium epistolae VIII Isocrateae exstat: *οἱ παῖδες οἱ μὲν Ἀφαρέως, υἱιδεῖς δ' ἐμοί, παιδευθέντες ὑπ' Ἀγήνορος τὰ περὶ τὴν μουσικήν, ἐδεήθησάν μου* —.

Caput VI.

Quinta classis privatorum hominum

eorum est, qui Isocrateis doctrinis imbuti neque rebus publice gestis neque eximia dicendi facultate conspicui vitae vel probitate gloriaeque mediocri quadam specie vel simplicitate suorum quisque morum usi sunt, quorum haud parvus numerus fuisse videtur, cf. Isocr. ep. IV, 2. Iis autem ipse magister, or. XII, 87, se aeque delectatum esse confitetur, quam iis, qui rebus gerendis excelluerint, et magis etiam, quam claris oratoribus. Plurimorumque memoria seculis vol-

ventibus exstincta evanuit.[47]) Octo solos viros reperimus quos, Isocratis auditores testimonia certa confirmant. Et priores quidem quinque notissimo illo loco or. Isocr. XV, § 93 exhibentur, quem hic apponam: ἤρξαντο μὲν οὖν ἐν πρώτοις Εὔνομός μοι καὶ Λυσιθείδης καὶ Κάλλιππος πλησιάζειν, — quos prima classe recensos reperies — μετὰ δὲ τούτους Ὀνήτωρ, Ἀντικλῆς, Φιλωνίδης, Φιλόμηλος, Χαρμαντίδης. Istos inter priores discipulos et inter eos, quorum consuetudine a pueritia ad senectutem usque praeceptor usus sit, iure referri, exponemus.

XXXIV. Onetor, Atheniensis, cui ex demo Μελιτεὺς cognomen apponitur, Philonidae cuiusdam f., Philonidis alii Isocratei (vide num. XXXVI) frater, Aphobi tutoris Demosthenici levir est. Quod Harpocration Isocratici illius loci memoriam tenens opinatus est[48]) sic se habet, et ex Demosthenis orationibus solis fere accuratior cognitio illius viri nobis parata est, quam copiosius Schaeferus in libris saepius citatis, qui „Demosthenes u. seine Zeit“ inscribuntur, explicavit. Onetor civis ditissimus erat plus XXX talentorum aestimatus (Dem. in On. or. I § 10), ita ut — teste Heliodoro ap. Harpocrat. l. c. — in numero τῶν χορηγησάντων haberetur. De ceteris eius in rem publicam meritis, quae ipse Isocr. l. c. § 94 dicit, ut de trierarchia apud Boeckhium Seeurkunden X e 98 testimonium exstat, ubi legitur inter navium et armamentorum administratores:

Ὀνήτωρ Μελιτεύς, Χαρικλῆς Ἀχαρνεύς, Φιλωνίδης Μελιτεύς, illius frater. Cf. Boeckh. Corp. Inscr. I, 125 b; alius quidam, Cephisodori F., C. I. n. 85 memoratur. Is Onetor Philoniden et improbum Aphobum consilio, malis artibus, eloquentiae suae vi adiuvit, ipseque a Demosthene accusatus est, contra quem duae ἐξούλης orationes anno 362 habitae sunt. Neque tamen famam bonam Onetoris imminuere potuit, quem Isocrates decem fere post annos summa laude extulit.

---

[47]) Quod dixi, scholiastae quoque (ad Hermogenis de id. I, 27, ap. Walz VI, 329) in mentem venit, qui ad Androtionis mentionem factam hoc magna cum veritatis superlatione annotavit: ὁ Ἀνδροτίων Ἰσοκρατικὸς ἦν ῥήτωρ καὶ οἱ πλείους τῶν δικαστῶν· ἑκατὸν γὰρ ἔτη διδάξας Ἰσοκράτης σχεδὸν τῶν πολιτῶν πάντων διδάσκαλος ἦν . . . Nos eam probabilitatis traiectionem fugimus.

[48]) s v. Ὀνήτωρ· Ἰσοκράτης ἐν τῷ περὶ ἀντιδόσεως· πρὸς τοῦτον ἂν εἶεν οἱ γεγραμμένοι Δημοσθένους περὶ τῆς ἐξούλης λόγοι.

XXXV. **Anticles**, Atheniensis. Eius praeconium in or. Isocr. XV, 93 sq. exstat, idemque mihi ap. Aesch. I, 53 cf. 165, commemorari videtur. Ἀντικλῆς Καλλίου Εὐωνυμεύς· οὗτος μὲν οὖν ἄπεστιν ἐν Σάμῳ μετὰ τῶν κληρούχων. De stadiodromo alio eius nominis (I, 157) minime cogitandum. Quis autem Anticles fuerit ille, cuius servus Eumares ap. Lys. XIII, 64. cf. VII, 4 vocatur, sciri iam nequit. De archonte Anticle vide Dionysii de Din. iud. 9; ep. ad Amm. sub finem.

XXXVI. **Philonides**, Atheniensis, Melitensis, Onetoris frater. De eius triremium instruendarum munere una cum fratre suscepto vide Seeurk. X e 98. Ipse cum Demosthene, Hegesippo aliis navium pignora dedit, quae Euboeae insulae ab Atheniensibus mutuo datae sunt anno 340 (cf. Schaef. Dem. II, 459); cf. l. c. 43.

Haec sunt merita, quae dives ille civis de patria meruit, quam ob rem coronatum eum Isocrates l. c. appellat. Idemque a comicis acerbius vexatur ob corporis et morum deformitatem et foeditatem. Inprimis Theopompus in Aphrodisiis (cf. Bergkii rell. com. att. ant. p. 400 sqq.) hominem libidinosum et abiectum depinxit, qui ex matris suae cum asino connubio exortus tanquam asinus rudere videretur, quum ab alio comico poeta camelus ob turpitudinem vocaretur. Neque prorsus abiectus vir putandus, quippe qui corporis quadam crassitudine ingeniique tarditate et stultitia magis quam morum pravitate et nequitia hominibus risui fuerit; haec enim vitia homines detestantur, illa vero derident.

XXXVII. **Philomelus**, Paeaniensis, quem Boeckhius, Seeurkunden II, 90. cf. p. 24, trierarchum eruit, initio quidem bona fama magis quam divitiis fructus, teste Lysia or. XIX, 15, anno 387 — quem in annum oratio illa de bonis Aristophanis incidit, cf. Hoelscher. vit. Lys. p. 93 — uxorem iam duxerat, itaque oratoria institutio eius ponenda sub initium Ol. 97 anno 392 sqq. Una cum Charmantide Paeaniensi et Isocrateo illo loco et apud Boeckh. C I. n. 213 legitur; re familiari — nescimus qua ratione — aucta, Philomelus dives et nobilis vir factus ea munera et beneficia in patriam contulit, ob quae publice coronatus ab Isocrate l. c. commemoratur (cf. Demosth. or. c. Mid. p. 571, § 174). Hic Philomelus, Philippidis filius cf. Boeck. C. I. l. c. longaevitate aeque ac morum integritate vitaeque probitate usus inter eos fuit, qui magistrum Isocratem ad senilem usque aetatem summe colebant.

XXXVIII. **Charmantides**, Paeaniensis. Pauca sunt, quae de eo

dicam, postquam Bergkius de rell. com. ant. p. 82. cf. 437 et Boeckhius in indice lectt. Berolin. 1838—39 p. 9, quae notanda erant, omnia contulerunt. Idem est ille, qui in titulo Attico, corp. Inscr. Graec. I, n. 213 legitur: *Χαρμαντίδης Χαιρεστράτου Παιανιεὺς*, victor Pandionidis tribus choro virorum in Thargeliis una cum Philomelo illo renunciatus non ante Ol. 95; idem, qui apud Platonem p. 328 B colloquii de Republica cum Cephalo vetustiore, Lysia, Euthydemo, Thrasymacho Chalcedonio, Clitophonte consociatur, quorum plerosque ex Ol. 96 media petitos Bergkius recte ostendit. Habet igitur commendationis certam speciem, quod sub idem tempus Isocrati operam eum dedisse putamus.

XXXIX. **Straton**, Atheniensis, de quo homine nil fere constat, Diogeni Laertio V, 61, Isocrateus fertur: *γεγόνασι δὲ Στράτωνες ὀκτώ· πρῶτος Ἰσοκράτους ἀκροάτης κτλ.* [49])

XL. **Autocrator**, Atheniensis videtur, cuius memoriam ipse magister solus nobis tenuit, qui per epistolam VII eum ut virum consultissimum sibique et familiaritate studiorumque societate coniunctissimum in gratiam Timothei, Clearchi tyranni filii, insinuavit. [50])

XLI. **Diodotus**, Atheniensis videtur. Eum Isocrates per epistolam IV ut discipulum magistro dignissimum (§ 1) Antipatro commendavit. Huic Isocratis familiari, teste ipso praeceptore et amico, ea ingenii totius dexteritas contigit, ut inter omnes Isocratis sectatores absolutissimus et perfectissimus evaderet. [51]) Is in Asia, patria sua, degens veritatis et libere loquendi nimio studio apud quosdam proceres in odium vocatus, honores quos tenuit, amisit (§ 7), praeceptorisque commendationem expetivit, ut de se ad Antipatrum scriberet. Insigni praeconio illi, quod Isocrates disciplo suo ep. IV, 4 tribuit, nihil est, quod addam.

---

[49]) Neque confidentius de illo Stratone cogitandum, quem Demosthenes or. XXI, 83—96 (cum scholiis) hominem pauperem et quasi rusticum probissimum vero dicit. Hic *διαιτητὴς* creatus (*διαιτῶν Δημοσθένει καὶ Μειδίᾳ* l. c.) munere suo quam optime functus ab improbis viris velut a Midia reus factus, quia nequitiae eius morem gerere noluerat, honores publicos (l. c. p. 542) amisit, qua ex atimia non rursus est liberatus p. 544.

[50]) Cuius epistolae paragrapho decima haec verba continentur: *Αὐτοκράτωρ γὰρ ὁ τὰ γράμματα φέρων οἰκείως ἡμῖν ἔχει· περί τε γὰρ τὰς διατριβὰς τὰς αὐτὰς γεγόναμεν καὶ τῇ τέχνῃ πολλάκις αὐτοῦ κέχρημαι καὶ τὸ τελευταῖον περὶ τῆς ἀποδημίας τῆς ὡς σὲ σύμβουλος ἐγενόμην αὐτῷ κτλ.*

[51]) *οὗτος δ' οὕτως εὐάρμοστον τὴν φύσιν ἔσχεν ὥστ' ἐν ἅπασι τοῖς εἰρημένοις* (sc. *τοῖς Ἰσοκράτει πεπλησιακόσι*, cf. § 1 sq.) *τελειότατος εἶναι.*

Caput VII.

Isocratis familiares et adversarii recensentur.

Qui sodales familiaresque Isocratis fuerint, qui adversarii, docturi nos non id agimus, ut in calce quaestionum nostrarum totum illorum agmen cogamus, id quod difficillime et inutile esse nec plane fieri posset; amicorum enim plerosque in discipulorum quinque classibus iam perhibuimus; aliorum autem, quae fuerint vel vitae consuetudines vel discordiae, veteribus tacentibus ne coniectura quidem saepenumero assequi liceret. Tamen illud non dubitandum, quin pro magna Isocratis gloria scholarumque laude per totam terrarum orbem pervulgata, quo litterae colebantur, quin magna fuerit et amicorum et adversariorum obtrectatorumque multitudo. Maximo autem honori et decori mutua officiorum coniunctio est, quam cum IV viris illustrissimis Isocrates inierat: Cononem dico et Timotheum, Evagoramque et Nicoclem reges.

De C o n o n i s et T i m o t h e i grata consuetudine et ipse Isocrates saepius (ep. VIII, 8. XV, 101), et nos pluribus locis libelli nostri, scripsimus. Quare satis habeo, insigne illud epithaphium, quod Timotheo mortuo amicus in or. XV inde a § 101 ad 140 usque exstruxit perhibuisse, quod nostram aetatem vidit, quamvis aënea imago Isocrati a Timotheo in Eleusinio fano posita temporum iniuria diruta sit.[52])

E v a g o r a e patris et N i c o c l i s filii familiaritatem Isocrates Timothei opera contraxit anno 377 vel sq. quo imperatorem illum sibi amicissimum per insulas Aegei maris prosecutus in Cyprum insulam pervenit. (Is. III, 42. IX, 1 argum. or. II.)[53]) Evagoras qui

---

[52]) cui haec verba — teste Pseudo-Plut. p. 838 D — inscripta erant:
Τιμόθεος φιλίας τε χάριν ξενίην τε προτιμῶν
Ἰσοκράτους εἰκῶ τήνδ' ἀνέθηκε θεαῖς.

[53]) Evagoras teste Diodoro XIV, 98. Ol. 97, 2 = 391 regno Cyprorum potitus est; quamquam per multos iam annos Salaminiorum principatu fruebatur (Is. or. III, 28), et Cononem a. 405 accepta in Hellesponto clade patria profugum (Xen. hell. II, 1, 29. Is. V, 62. IX, 51 sqq.) recepit, inque eum liberaliter receptum eiusque filium Timotheum, ut opinor, magna illa beneficia, quae in Lysiae or. XIX, 36. cf. 40 leguntur, contulit.

una cum Conone summa merita de republica Atheniensium meruerat, ob quae a gratis civibus statuam et ius civitatis accepit (Is. IX, 52—57. cf. Demosth. ep. Phil. or. XII, 10 p. 161), summis laudibus et honoribus encomio illo effertur, quod multis annis post necem regi a. 374 illatam (Diod. XV, 47. cf. Is. IX, 78) Isocrates conscripsit (cf. argum. or. IX). Pretiumque XXX talentorum, quod in illo argumento commemoratur idem illud est, quod XX numero pro oratione ad Nicoclem inscripta ab amici grato animo solutum fertur (cf. hypoth. or. II. cf. Ps. Plut. p. 838 A), quorum munerum ipse rhetor or. XV, 40 testimonium tulit. Nicoclis autem familiaritate delectabatur, quia hic solus omnium tyrannorum philosophiae et litteris artibusque liberalibus operam dedit (IX, 78); quia vir fuit probitate et vitae regnique moderatione, libidinumque temperantia conspicuus (III, 36. 42. 45). De hospitio et convivio apud eum habito, quod Ps. Plut. p. 838 F narravit, supra iam egimus.

Atque haec hactenus; iam in adversariis notissimis tractandis, philosophorum et rhetorum solorum dissensiones et discordiae hic referentur, ut quae potissimum huc pertinere putemus.

Primum, quae Isocratis cum Platone et Socrate consuetudo fuerit, Socraticae quidem doctrinae consortem fuisse Nostrum, ipsa scripta — ut recte Pfundtius p. 8. cf. p. 5 dicit, cf. Saupp. l. c. 404 — et scriptores veteres loquuntur, qui de magisterio Socratis hic cogitarunt. Accedit quod in Platonis Phaedro sub finem p. 279 A insigne exstat augurium, quod sapiens ille vir de juvene pulcherrimo tulit. Tamen nec de cotidiana consuetudine illorum nec de ulla specie amicitiae scriptores unquam certiores nos fecerunt. Quomodo autem Platone Isocrates usus sit, Spengeli commentatio, quae „Plato und Isocrates“ inscribitur, copiosius exposuit, postquam Pfundtius, loco Diog. Laert. III, 8, ubi de colloquio quodam in agro Platonis cum Isocrate habito agitur, insistens, rem brevius attigit, quem Sauppius l. c. p. 407 correxit. Itaque hic rem ad vivum resecare supersedentes sat habemus, dissensiones magistrorum etiam ad discipulos translatas ostendisse. Huc spectat quod Theopompus Isocrateus maxime germanus librum *κατὰ Πλάτωνος διατριβῆς* scripsit (qui pars fuerit maioris historici operis); cuius fragmentum Athen. XI, p. 508 C servavit plenum invidiae et obtrectationis nec non iniqui iudicii, quo dialogi illius inutiles et mendaces quin decerpti ex aliorum philosophorum scriptis denotantur. In eundem Platonem Cephisodorus scripsit teste Dion. ep. ad Pomp. I sub fin. (VI,

p. 757 R). Idem Cephisodorus magistrum Isocratem contra Aristotelis iniurias ἀντιγραφαῖς suis πρὸς Ἀριστοτέλη (cf. sub num. XXI). Denique Dioscorides in memorabilibus suis (Athen. XI p. 507 D) opprobria in Platonem coniecit (cf. Isocr. Apoll. s. n. XXIV). Quibus ex inanibus criminationibus proficiscitur, inimicitias summas inter Platonem et academicos et Peripateticos et inter Isocrateos exstitisse.

Nec magis philosophorum quam sophistarum invidiae Isocrati curae erant. Eorum enim multi fuere, qui pugnaces et quasi bellatorii in novum Atticum sidus artis sophisticae exstiterunt; quorum nobilissimi Polycrates eiusque auditor Zoilus erant et huius discipulus Anaximenes Lampsacensis, accedunt Anthisthenes et Alcidamas Elaites.

Isocrates, quum primum Athenis scholam aperuit, Sophistarum perversa praecepta scriptis suis illusit, melioraque se traditurum professus civium oculos ad novam oratoriam disciplinam convertere voluit. Orationes, quae in Sophistas, Helena, Busiris, Panathenaicus, de permutatione inscriptae sunt, abunde sat ostendunt, quantum Isocratis et ceterorum Sophistarum sententiae inter se discrepuerint, nec nosmet ipsi non supra docuimus.

Et primum quidem in Polycratem valde invehitur, quem constat Gorgia etiam vivo Athenis praecepta eloquentiae tradidisse. Improba viliaque eius argumenta et sine ulla orationum generis cognitione tractata notantur, quibus eloquentiae arti invidia odiumque bonorum conflentur. Et erat sophista is admodum mediocris neque elocutionis virtutibus nec gravitatis et venustatis laudibus conspicuus, teste Dion. V p. 627. cf. Saupp. O. A. Qua ratione ad vituperia Isocratis responderit, memoriae non traditum est, quamquam ad magistrorum dissidium impetus Zoili retulerim.

Zoilus Amphipolita, Polycratem Sophistam audivit (Aelian. XI, 10); Ὁμηρομάστιξ (Suid. s. v.) et Κύων ῥητορικός (Ael.) vocatus, turpissima corporis forma et linguae grandi maledicentia erat, is a magistro suo odium quoddam in Isocratem per hereditatem quasi accepit, quare librum κατὰ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος (Suid.) scripsisse fertur. —

Eius discipulus Anaximenes Lampsacensis, Alexandri M. praeceptor (Suid. s. v. Ἀναξ.), neque historicus tolerabilis nec rhetor laudabilis, sed ἀσθενὴς καὶ ἀπίθανος (Dion. p. 626). Huic artem rhetoricam, quae Aristotelis ad Alexandrum haberi solet,

Viri docti tribuerunt.[54]) Is, a magistro Zoilo invidia in Isocrateorum praestantiam percepta, Theopompum historicum inimicissimum callida ratione sed maxime invidiosa ultus, teste Suida librum contra Athenienses et Lacedaemonios scripsit, in quo stilum maledicum Theopompi imitatus accurate expressit, et adversarii nomine inscriptum per urbes divulgavit, unde odium Graecorum in Theopompum auctum est.

Inter Antisthenis Atheniensis scripta a Diogene VI, 15 refertur *Ἰσογραφὴ ἢ Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης, πρὸς τὸν Ἰσοκράτους ἀμάρτυρον*. In ipsum hunc sophistam et eius orationem Isocrates Viris doctis in fine panegyrici sui § 188 sq. invehi visus est. Jam H. Wolfius in editione Isocratea vidit, *τὴν παρακαταθήκην* (Is. IV, 188) esse orationem XXI *πρὸς Εὐθύνουν* inscriptam; et si Noster sophistas admonet, ut nugis ceteris, quas in illam accusationem contulerint, omissis, in panegyrico argumento potius tractando inter se certent, iam inde sequitur, Antisthenem illo libro Isocrateo scribendi generi obtrectasse. Praeter hunc Gorgiae discipulum et sectatorem alium studiorum socium, Alcidamantem Isocrates adversarium nactus est.

Alcidamas Elaites (minime Eleates, Spalding. ad Quint. III. 1, 10) apud Dionysium Hal. Is. 19, inter eos numeratur, quos Isocrates sublimi illo et ornato dicendi genere superavit.[55]) Is Alcidamas Isocratis fere aequalis,[56]) cum eo inimicitias habuit, teste Tzetze Chil. XI, 672 (cf. Spengel. praef. p. XXIV et 174). Alteram declamationem *περὶ σοφιστῶν* inscriptam Spengelius l. c. p. 173—180 in Isocratem conversam putat. Ad aestimandam Alcidamantis artem praeter Aristot. art. III, 3, qui *τὰ ψυχρὰ* eius vituperat, Menandri iudicium valet, quod (*περὶ ἐπιδεικτικῶν* IX, p. 163 Walz.) argumenta, quibus ille ad *ἐγκώμια* scribenda usus sit, *παράδοξα* appellat, postquam Isocratis et Aristidis argumenta Panathenaicorum *ἀμφίδοξα* vocavit. —

---

[54]) cf. Westermann. hist. eloqu. § 69. Spengel. *συναγ. τεχν.* 182 et in editione artis. Mueller. in orr. att. II, 449.

[55]) „*Ἀλκιδάμαντα δὲ τὸν ἀκουστὴν αὐτοῦ* (sc. *Γοργίου* v. Suid. s. v.). *παχύτερον ὄντα τὴν λέξιν καὶ κοινότερον* (pinguiorem in oratione et trivialem)" cf. Ballu I, 109 sqq. Becker. in Ersch. et Gruberi Encyclopaedia III, p. 144. Suid. s. v. Eudocia 100.

[56]) Tzetzes Chil. XI, 746 *ὁ Ἀλκιδάμας ἔγραψεν ἐγκώμιον θανάτου ὁ Ἐλαΐτης σύγχρονος ὑπάρχων Ἰσοκράτους.*

Index

eorum qui aut Isocratei aut Familiares aut Adversarii rhetoris hoc libello continentur.

Vita auctoris.

Natus sum Paulus Sanneg[illegible]vI Octobris a. 1843 in arce Silesiae superioris, cui Schimischow nomen inditum est, patre Bernhardo matre Carolina e gente Gulitz, quam praematura morte ereptam valde lugeo. Literarum elementis Ratiboriae imbutus, quo pater demigraverat, gymnasium huius oppidi auspiciis Passowi et Wagneri Virr. Ill. per IX annos frequentavi. Unde maturitatis testimonio instructus ineunt evere a. 1863 Halam me contuli, ut studio philologiae me dederem fratrisque mihi dilectissimi commilitio et contubernio uterer. Tum Vratislaviae continuavi Halamque redux peractis VII semestribus absolvi studia mea; quae et philologica et archaeologica et philosophica rexerunt quum alii multi tum Virr. Ill. Haase, Rossbach, Hertz, Bernhardy, Bergk, Schaller, Contze, quibus de me meritis gratias quam maximas nunc ago agamque semper. Per III semestria seminarii philologici et Bergkii societatis per anni spatium sodalis fui. Nunc praeceptoris munere Nordhusae per hos VI menses fungor.

THESES.

I.

Isocrates philosophiam nil aliud esse quam eloquentiam existimavit.

II.

Orationis partes *προοίμιον*, *διήγησις*, *πίστεις ἐπίλογος* quae vocantur certis finibus primum ab Isocrate in artium rhetoricarum libris circumscriptas esse contendo.

III.

Hippocrates medicus clarissimus Ol. 75 natus Ol. 102 mortuus est; itaque perverse statuerunt, qui eum iisdem quibus Democritum philosophum Oll. (80 et 105) ortum esse et obiisse affirmant.

IV.

Suidae glossam *Θεοδέκτης* verborum defectu laborantem sic restituerim ut legatur: *ἔγραψε δὲ καὶ τέχνην ῥητορικὴν* — (hic addatur) *καὶ λόγους ῥητορικοὺς πολλά τε* — *ἐν μέτρῳ καὶ ἄλλα τινὰ καταλογάδην.*

V.

Pseudo-Plutarchum in vitis X oratorum conscribendis inter primarios fontes Hermippi libris, *Βίοι* inscriptis, usum esse.

VI.

In pueris recte educandis ea lex prima sanciatur, ut discipuli vel in vilissima re sint veritatis studiosi.